


CONSTITVTIONES GENERALIS CAPITVLI MIECHOVIENSIS:

Die XIX. Mensis Octobris, Anno Domini 1621. celebrati.

Authoritate eiusdem Capituli promulgatæ.

Et cum Facultate Illustrissimi & Reuerendiss. Dñi, D. loci ordinarij sub Prælum traditæ.



CRACOVIAE,

In Officina Typograph. Matthiæ Andreouiensis,

APPROBATIO.

Ioannes Foxius I. V. Doctor, Eccleſiæ Cathedralis Cracouienſis Archidiaconus, vnus ex Cenſoribus librorum imprimẽdorum, ab Illuſtriſſimo & Reuerendiſſ. Dño loci Ordinario deputatus, haſce Conſtitutiones Religioni Ordinis, Cuſtodum Sepulchri Domini ſeruientes, legi, eaſque optimo zelo Superiorum conſcriptas, ac Religioſis ad perfectam inſtitutorum ſuorum obſeruãtiam facem præferẽtes, vtiliter imprimi poſſe cenſeo.

Cracouiæ die 13. Martij. Anno 1621.

In Stemma Reuerendissimi Domini,

D. MATTHIÆ LVBIENSKI, Ord: Canonicorum SS. Sepulchri Domini Hierosolymitani, Præpositi Generalis, designati Episcopi Chelmensis.



QVàm stupeo caput hoc traiectum? Num quia frontem
Fert: veneranda bonis quæ metuenda malis?
Non satis est, vltra virtutûm præmia dictat
Æque LVBINIO, *præ pietate, dari*
CHELMA *vocat, propera. Meus es.* MIECHOVIA *contrà*
Nec volo, nec possum mittere te. Meus es.
O sublime iubar, litem tolle, accipe CHELMAM
Porrò MIECHOVIÆ *sis memor vsque tuæ.*

M. Simonis Driouij Zarcensis, Collegæ Min. & in Alma Acad. Crac. Professoris.

MATTHIAS ŁUBIENSKI CANONICORUM REGULARIUM, CUSTODUM SS. SEPULCHRI DOMINI HIEROSOLYMITANI PRÆPOSITUS GENERALIS, NOMINATUS EPISC: CHELMENSIS. &c.

Vniuersis Religiosis nostris Fratribus Salutem in Domino.



OST Eaquam Diuina vocatione & vestra concordi voluntate, ad sustinendum munus Generalis Præpositi, Ordinis Canonicorum Diui Augustini, Custodum Sepulchri Domini, admoti sumus; continuò sentientes, quàm graue onus humeris nostris impositum susceperimus, eò curam, studiumq; nostrum contulimus, vt præscriptam à maioribus nostris religiosæ vitæ normam inspiceremus, vniuersique Ordinis nostri religiosos, & loca Ecclesiasque eorum curæ cõmissas, instituta & peracta generali visitatione, lustraremus, vt & nos eorum vultus, actusque, & conuersationem notam haberemus, & illi vicissim Pastoris voce, & cohortatione audita, ad suam sibiq; subiecti populi curandam salutem, animarentur. Quibus ex

animi

animi nostri sententia, Diuina nobis suffragante gratia peractis, reliquum erat, vt coacta vniuersi Ordinis nostri Hierosolymitani congregatione, consilium caperemus, qua ratione, quod per Prophetam Ezechielem nos Dominus facere iubet, id quod in grege nostro infirmum erat, consolidaremus, quod ægrotum sanaremus, quod confractum alligaremus, quod abiectum reduceremus, & quod perierat, quæreremus: leges & constitutiones maiorum nostrorum, magna ex parte abusu & desuetudine abrogatas, firmaremus, alias quas præsens rerum status poscebat, conderemus. Quod quidem aliis negotiis, & curis vtcunq; soluti, hisce diebus præstitimus: conuocata & peracta Synodo nostri Ordinis, in qua more instituto q; maiorum nostrorum, ex consilio & assensu omnium Fratrum, Constitutiones Ordini & instituto nostro, in quo nos Domino famulaturos, iurata fide spopondimus, consentaneas, sanximus cōdidimusq́ue: quas religiosorum & doctorum hominum censura examinatas & approbatas, vestræ imprimis vtilitati, vestræ saluti deseruituras, in lucem damus. Hortamur igitur vos in Domino, & per viscera misericordiæ Dei obsecramus, vt non ad legendas modo has Constitutiones, sed multò magis ad implenda & exequenda ea, quæ illis salubriter præscripta vobis proponuntur, animum adyciatis. Vestra hic agitur salus, vobis & gregi curæ vestræ

 commisso,

commiſſo, omnis hac in parte noſtra deſudauit ſollicitudo, quam vos gratis animis excepturos, & paternam noſtram curam filiali obſeruantia amplexuros, omninò cōfidimus. Deus Optimus Maximus eas vobis inſpiret cogitationes, ad eos accingat conatus, qui veſtræ vocationi ſunt conſentanei, vt omnes actiones veſtræ religioſæ ſanctitatis odore flagrent, vt nos qui id vnum intendimus, quatenùs noſtrum & veſtram ſalutem promoueamus, vt hoc qualicunq; labore, quem ſimplici animo, augendi cultus diuini cauſa ſuſcipimus, diurnum denarium, apud benignum & liberalem patremfamilias promereamur, voti & deſiderij noſtri compotes efficiamur: Vt in extremo iudicij die, flore virtutum veſtrarum ornati (corona enim noſtra eſtis vos) coram ſupremo iudice compareamus.



Ad Lavdem & Gloriam Dei Omnipotentis, ac vniuersi Ordinis Canonici, Custodiæ Sacrosancti Sepulchri Dominici Hierosolymitani deputati, commodum, & vtilitatem, Capitulũ Generale, per Reuerendissimum D. Matthiam Lvbienski, eiusdem Ordinis & Conuentus Miechouiensis Præpositum Generalem, &c. ad diem xix. Octobris, Anni M.DC. XX. Miechouiam indictum, eodem die votiuo sacro de Spiritv S. præmisso, ac deinde sequentibus diebus fæliciter continuatum. Præsidente eodem Reverendissimo Generali Præposito. Præsentibus Reuerẽdis ac Religiosis Præpositis, Parochis, & alijs Regularibus eiusdem Ordinis Canonicis. Cuius quidem Capituli hæc sunt Statuta & Decreta, quæ sequuntur.



PROEMIVM.

CVm in aliquot Capitulis Generalibus, opera & studio Illustrissimi olim Cardinalis Bathorei, Praepositi Generalis Miechouiensis, celebratis; illa omnia, quae ad vitam Religiose instituẽdam, & ad alia munia huic Religioni annexa, ritè obeunda, pertinent, ita sufficienter sancita, & Typis mandata reperiantur, vt ferè nil praeterea requiri videatur, quàm vt ea debitae executioni (sine qua frustra conduntur leges) demandentur; hoc autem nulla alia commodiori ratione, quam per illos, qui in Officiis ex antiqua religionis nostrae ordinatione sunt constituti, perfici posse videatur. Ideò eã methodum, in sanciendis huius Capituli Statutis, & ordinationibus, seruandam esse censemus, vt cuiuslibet Officialis munia, iuxta praescriptum Constitutionis vltimae Cap: Gen: secundi, distinctis Capitibus comprehensa, describantur; quatenus vnusquisque illorum functionem suam, quasi in vna quadam tabula depictam aspiciat, eiq; deinceps tantò diligentiùs attendat.

DE OFFI-



DE OFFICIO PRÆPOSITI GENERALIS.



Vandoquidẽ Paſtoris officium eſt præcedere, ouium autem ſequi, ideò operæ precium fuerit, vt Præpoſitus Generalis à ſeipſo reformationem incipiat, & memor Religioſæ vocationis ſuæ, vitam ſuam ex præſcripto Regulæ, & Conſtitutionũm Ordinis, ita inſtituat; vt reliquis membris ſit ad omnem virtutem, & perfectionem exemplo,& incitamento. Circa Eccleſiam ſuam reſideat,& ab ea(cauſa legittima excepta)ſe non abſentet,præſertim verò pro ſolemnioribus Feſtis diebus Anni. Communi vitæ cum fratribus aſſueſcat, & cum illis in Choro, Capitulo, Refectorio, & Dormitorio,(quantum per alias occupationes licebit)ſit frequens, eoſq; debito honore & amore proſequatur.

Menſa frugali (in abſentia præſertim Hoſpitũm) contentus, duos ad minus fratres ei adhibeat, & ad eam ex ſacra ſcriptura, & aliis piis Eccleſiæ ſcriptoribus, aliquid accomodatum legi faciat. Habitum decentem, non tamen ſuperfluum, Cruce geminata, (ex Præſcripto Ordinis) inſignitum, deferat.

Bonorum, & Patrimonii Monaſterii ad menſam Præpoſiti antiquitus pertinẽtium meminerit ſe non Dominum, ſed diſpenſatorem eſſe, ac proinde redditus illorum, ſuperfluis ſumptibus non exhauriat, ſed quidquid ſuſtentationi ſtatui ipſius conuenienti ſuperfuerit, id in vtilitatem Eccleſiæ ſuæ,& in vſum pauperum conuertat, Prouentuſq; ſuos ita diſtribuat, vt expenſarum rationes Capi-

 tulo

tulo Generali (si quãdo ita expedire videretur) reddere sit paratus.

Hospitalitatem à SS Patribus magnopere cõmendatam prompte erga omnes, præsertim verò Peregrinos & Religiosos exerceat, memor eos qui hospitalitatem amant, Christum Dominum in hospitibus excipere.

In suos consangnineos, non sit profusus, & si quando eum illorum inopiæ subuenire, necessitate vrgente, contigerit, id non tã ex affectu sãguinis, quã ex debito charitatis Christianæ officio faciat.

Bona mensæ suæ nullatenus alienet, & ea in Arendam, vt vocant vltra triennium (& hoc cum scitu Fratrum) non locet, nec anticipata redituum ex bonis locatis perceptione, aut eorundem bonorum ex leui censu ad multos Annos locatione, Monasterio & successoribus præiudicium inferat. Ne autem subditi per locatores, seu Arendatores, opprimantur: & ne bona Monasterii per eosdem desolata reddantur. Neue fines & limites bonorum, negligentia illorum diminuantur: Singulis trienniis duo Consiliarii ex Capitulo Generali assignati, omnes Præpositi & Conuentus Possessiones, impensis eiusdem, obibunt, & ne quid eiusmodi in iis fiat, Reuerendissimum diligenter præmonebunt.

Cum autem ex antiquo, certi redditus pro communi mensa Fratrum sint assignati, & successu temporis, per Præpositos Generales aucti, in vsu & possessione eorundem, Cõmunitatem Conuentus sui perpetuò conseruabit. Et præcauebit diligenter, ne per Officialium incuriam, vel malitiam, quicquam ex illis diminuatur, vel in aliquos abusus conuertatur.

Fabricam maiorem templi & Conuentus, ex Prouentibus ad Mensam suam spectantibus, pro sua liberalitate prouidebit, & curia Præpositura vnà cum ædificiis Prædialibus, ne sucessu temporis detrimentum patiantur, matura eorum restauratione obuiam ibit.

Beneficia

Beneficia ad Conuentum MIECHOVIEN: pertinentia, nemini alteri, præterquam eiusdem Ordinis Presbyteris, Professis, legittimeque iuxta præscriptum Constit: 17. Lib. 3. Cap. Gen: secundi, electis, conferret.

Debitum numerum Religiosorum, ad explendas fundatorum pias intentiones, in Conuentu pro posse foueri curabit.

Maximè autem attendere debet, vt omnes Fratres curæ suæ commissi; vocationi suæ Religiosæ respondeāt, vt ea quæ in Regula & Constitutionibus Ordinis præscribuntur, ad amussim obseruent, atq; eius rei causa, ipsum Monasterium sæpiùs, reliquas autem Ecclesias, eidem annexas, per Prouinciales quidem semel quolibet Anno per se autèm, vel si legittime fuerit impeditus, per suos Cōmissarios singulis trienniis, visitet, & quæ deprauata repererit, reformare, & in Spiritu lenitatis, corrigere studeat.

Ac præterea Capitula Generalia, exemplo aliarum Religionum rectè institutarum, singulis trienniis (nisi aliquod legale obstiterit impedimentum) Miechouiæ habeat, & in iis de disciplina Regulari retinenda, & de moribus deprauatis corrigendis, cum Fratribus Ordinis, maturiori iuditio præditis, consilia conferat.

In omnibus deniq; actionibus, talem se exhibeat, vt quemadmodum dignitate aliis præstat, ita iisdem sanctitate & odore, bonorum operum, præcellat.

Porró cum de dispositione rerum, post obitum Fratrum relictarum, Ordinationes, in præcedentibus Capitulis Generalibus descriptæ habeantur, quæ etiam deinceps obseruari debent: De Præpositis autem Generalibus, & de rebus post decessum illorum derelictis, nil sit in iis expressum. Ipsa vero experientia edocti simus, multos abusus in distractione eiusmodi rerum committi solere: ideò ne id in posterum fiat, obuiare volentes, statuimus & decernimus, idq; sub pœna Excōmunicationis maioris, per Religi-

ſos huius Cõſtitutionis violatores, ipſo facto incurrenda, vt morte Præpoſiti Generalis interueniẽte, quicquid vltra ordinationem, quæ illi tanquam Prælato, de iure Communi, quo ad pias cauſas, competit, funere & familia expeditis, & ære alieno, ſi quod defunctus cõflauit, exoluto, tam ex pecunia, quam ex ſuppellectili reliquum fuerit, id totum hoc modo diſtribuatur. Pecunia quidem tàm parata, quàm in nominibus exiſtens, & omnis ſuppellex pretioſior, vt potè argentum, libri, Caſſulæ, pluuialia, & reliqua ſuppellex ſacra, tapetia, aulea, veſtes, & pelles præſtantiores, pretium equorum & curruum, iuſta æſtimatione venditorum, in vſum ipſius Eccleſiæ. Omnis vero ſuppellex menſæ, culinæ, cellarii, & vinum, ſi quod funeri ſuperfuerit, in vſum menſæ communis. Veſtes deniq; viliores, ſtatui religioſo conuenientes, lectiſternia, induſia, & reliqua minuta ſuppellex, in vſum Fratrum, arbitrio Cuſtodis, & conſiliariorum (ante quorum aduentum, res derelictæ, à nemine attrectari debent) diuidenda, cedant. Prædia autẽ cum frumento, pecore, pecude, & reliqua ſuppellectili, ita per Adminiſtratorem, à capitulo electum, gubernẽtur, vt meminerit ſe, futuro ſucceſſori, rationem adminiſtrationis redditurum.

DE OFFICIO.
CVSTODIS ET VICECVSTODIS.
Qui idem & Magiſter morum.

CVm ex præſcripto Capituli Generalis Secundi, Conſtitutionis 9. lib: 3. Cuſtos totius Regularis diſciplinæ director & tutor eſſe debeat, ideó hortamur vt iuxta præſcriptum eiuſdem Conſtitutionis in exequẽda regula, & Statutis Ordinis, ſit feruens, & ea

omnia, quæ ad obseruationem votorum essentialium, & Regularis disciplinæ pertinent, diligenter à fratribus adimplenda curet, eosq; ad studia sacrarũ literarum, & pias meditationes, ac ad perfectionem omnium virtutum, non tantum admonitionibus, sed multò magis, exemplo suo, inuitet.

In Choro dum Officium Diuinum decãtatur, nisi legittimè fuerit impeditus, sit semper præsens, & vt horæ Canonicæ, deuotè, & ordinatè, decantentur, cultusq́; Diuinus, nulla in re negligatur, sedulò attendat.

Cum autem Patronorum ordinis officia, nuper in ordinem sint redacta, & cum approbatione & licentia Illustrissimi Domini Lociordinarii, Typis iam mandata, ideò illa ab vniuerso ordine recipienda, & eadem quàm diligentissimè in posterum obseruanda esse, decernimus.

Animarum, quæ huic Ecclesiæ in spiritualibus cõcreditæ sunt, diligentem curam Custos gerat, vtq́; iis, per diligentiores, & peritiores Fratres, specialitèr ad hæc deputatos, Sacramenta debitè & ordinatè administrentur, omnem operam nauet.

Nullum autem ex Fratribus, ad audiendas Confessiones deputabit, nisi prius legittimè, ab Officio Illustrissimi Domini Lociordinarii, vel ab aliquo alio, ab eo ad id deputato, fuerit approbatus.

Attendat præterea diligentèr Pater Custos, vt omnia recto ordine, iuxta distributionem horarum inferiùs descriptarum, in Conuentu peragantur, & vt singuli Fratres suo munere ritè fungantur. Nec dissimulet peccata delinquentium, sed mox, vt cœperint pullulare, radicitus ea euelli curet, ipsosque delinquentes, primo quidem admonitione, vel leui carcere (quem ad puniendas leuiores culpas, distinctum, à præsenti subterraneo & obscuro in posterum esse volumus) corripiat. Si autem inobedientes &

incorrigibiles fuerint, seueriori disciplina, & arctioribus, carceribus, coerceat. Quod si eiusmodi correctione se non emendauerint, eos ad præpositum Generalem deferat. Maximè autem in eos, qui dissidia, rixas, contentiones, & seditiones inter fratres excitant, & qui ebrietati student, vel qui septa claustri sine licentia egredi præsumunt, vel qui denique de turpi vita, & incontinentia suspecti sunt, animaduertat, omnesq; horum peccatorum occasiones diligenter amoueat.

Capitula bis in Hebdomada, Feria quarta, & sexta, iuxta Constit. 16. Lib. 3. Cap. Gen. 2. celebrare non prætermittat, eumque ordinem in illis celebrandis teneat, qui ibidem est præscriptus. Præsertim verò sedulus sit in Fratrum negligentiis per hebdomadam commissis, diligenter indagandis, & iuxta meritum, & exigentiam corrigendis. In quibus etiam, ad instar aliarum religionum vt singuli, Fratres proprias culpas superiori suo fateantur, Et si id facere neglexerint, ab aliis, qui illorum defectus notauerint, Capitulo deferantur, in posterum obseruari volumus. Clausuræ Monasterii sedulam curam habeat, & vt seræ portarum sint firmæ, & semper clausæ teneantur; attendat, neuè feminæ septa Monasterii vlla ex causa ingrediantur, sedulò præcaueat.

Silentium frequentissimis Antiquorum Patrum admonitionibus cõmendatum, & regulæ, statutorumque nostrorum Decretis confirmatum, in Dormitorio, Claustro, Templo, & Refectorio, omni tempore, (horis recreationis, altera post prandium, altera post cænam, & media post vesperas exceptis) diligenter præcustodiat, statimq; silentii, sine legittima causa fracti, transgressori pænam arbitrariam iniungat.

Claues cellarum omnium, (præter has quas singuli fratres habent) penes se retineat, licitumq; sit ei aperire cellas, & illas inuisere, quoties ipsi expedire visum fuerit. Ordinariè autem visita-

tionem cellarum singulis mensibus obeat, ac videat, ne in cellis retineant fratres res statui Religioso minime conuenientes, vtpote instrumenta alearũ, imagines profanas, scripta lasciua, vinum, crematũ, ceruicalia superflua, vestes exquisitas, & alia similia; & si quæ talia repererit illa statim amoueat, & excludat. Ea autem, quæ ex necessariis alicui fratri deesse cognouerit, libenter ex communi vestiario suppeditet.

Oeconomiæ domesticæ ita attendat, vt in administratione illius tàm per ipsum, quàm per alios Officiales, nil negligatur, & multo minus, quicquã perperam committatur. Factores autem Prædiorum, ad mensam fratrum pertinentium, non Religiosas sed seculares personas, quarum fides & dexteritas, in Administratione bonorum fuerit commendata, in posterum constituat.

Etsi autem institutio Custodis, hactenus à sola ipsius Præpositi Generalis voluntate dependebat, quia tamen vniuerso Ordini nostro plurimum interest, vt talis huic muneri præficiatur, qui ei, pro dignitate & vtilitate Religionis, sufficere posit; Ideò consultiùs esse ducimus, vt in posterum ad electionem ipsius, non tantum Fratres præsentes, sed etiam Consiliarii aduocentur, & ipsius electio, capitulariter instituatur. In potestate tamen Præpositi erit, eũ quem fratres elegerint confirmare, aut eo repulso, vt alteri magis idoneo, vota sua ferant postulare. iuxta Constit. 17. Lib. 3. Cap. Gen. Scñdi de electione ad Ordinis beneficia præscriptam.

Cum autem in religione nostra antiqua consuetudine sit receptum, & Constitutionibus ordinis comprobatum: quod Custos: alterum post Præpositum Generalem in Conuentu locum obtineat. Hortamur fratres, vt illi debitum honorem & obsequium o- omni tempore exhibeant, ac eius iussa atq; monita; non aliter quàm nostra accipiant, in omnibusq; libenter illi obtemperent; quoties verò Chorum, vel commune Refectorium, ingreditur, o-

mnes

mnes assurgant, ac debitam Reuerentiam ipsi præstent.

Verùm cum ipsum nonnunquā, negotiorum Monasterii causa, â Conuentu abesse contingat, in locum ipsius Vicecustos, quem nos pro tempore elegerimus, succedet, atq; prædicta omnia munia, ad Custodem pertinentia, exequetur. Præsente autem Patre Custode Vicecustos attentè mores fratrum obseruabit, & illorum defectus, præsertim in Diuinis Officiis, diligenter notabit, ac negligentes primo quidem officii admonebit, deinde verò si ipsius monita non curauerint, Patri Custodi deferet, vel si res moram patietur, in Capitulo particulari negligentiam illorum accusabit. Cui etiam Fratres, non minorem honorem, & obediētiam, quàm ipsi Custodi in posterum exhibere debebunt.

DE OFFICIO. CONSILIARIORVM.

QVoniam in Ordine nostro, consiliarii eo fine sunt instituti, vt eos in rebus Ordinis difficilioribus, Reuerendissimus Dominus Generalis, & Custos conuentus, fidos socios & consortes, laboris sui habeāt; vbi enim multa consilia, ibi necesse est multam esse salutem; Proindè quotiescunq; in Conuentum negotii alicuius tractandi causa vocabuntur, promptè & libenter se sistant, & rogati, consilia sua, syncerè & candidè explicent.

Etsi quid in Ordine perperam fieri aduerterint, Reuerendissimo, cuius id potissimum interest, vel in ipsius absentia, Custodi deferant; mala enim faciliùs in ipsis initiis corrigi possunt, quàm cum ob dissimulationē sumpserint incrementa. Sicut autem ceteris fratribus præstant dignitate, ita exemplo, doctrinaque sua illis præluceant, atq; ad pietatem & vitam religiosam, cum timore Dei transigendam duces sint.

Illorum

Illorum etiam muneris erit attendere, vt iura & Priuilegia, huius Almi Conuentus,atq; adeò omnium Conuentuum & Eccleſiarum, Ordinis noſtri fideliter,hic in conſueto Archiuio, ſub firma clauſula conſeruentur. Clauesq; tàm ab Archiuio,quàm à ſigillo maiori,á duobus vicinioribus è medio illorum, vnà cùm Cuſtode pro tempore exiſtente, retineantur.

Ad Electionem quoque tàm Cuſtodis, quàm eorum,qui beneficiis, ſiue Eccleſiis præficiendi ſunt, ii præſertim,qui erunt viciniores,accerſentur ; ac contractus locandorum prædiorum , ſiue ad menſam Reuerendiſsimi, ſiue ad menſam Fratrum ſpectantium, cum conſilio & ſcitu ipſorum,in poſterum fieri debent.

Quoniam autem plurimum intereſt, quales perſonæ in Conſilium adhibeantur, ideò eorum vita & doctrina diligenter à Capitulo Generali examinari debebit, quos autores Conſilii publici, Conuentus habere voluerit, liberumq; erit, ſingulis Generalibus Capitulis,Reuerendiſsimo,iuxta beneplacitum ſuum, alios atque alios,quos huic officio & muneri aptiores eſſe aduerterit ſurrogare. Illa autem Conſtitutio quæ in Cap. I. Gen. Conſiliarios veluti loco affixos deputat, tempori accomodata cenſenda eſt. Fuerunt enim illo tempore, circa dicta loca, perſonæ habiles, & ad danda conſilia ſufficientes. Ita tamen vt inter quatuor Conſiliarios,vnus ex reſidentibus fratribus,qui Reuerendiſsimo magis idoneus videbitur,in poſterum conſtituatur, quatenus tàm ipſi Generali Præpoſito, quàm Cuſtodi in grauioribus negotiis, à Conſilio præſto eſſe poſsit.

DE CONSERVATORVM DOMUS, ſeu Veſtiariorum officio.

VEſtiarii quibus quæſtura, ſeu procuratio omnium Prouentuum

ad Conuentum ſpectantium, demandata eſt, officio ſuo per omnia fideliter reſpondeant, & ſingulis Menſibus coram Cuſtode & Capitulo, omnium perceptarum & expenſarum quotidianarum exactam rationem reddant.

Veſtiariæ, qui locus eſt communis, ad veſtes & res neceſſarias Fratrum deponendas, deputatus, diligentem curam habeant. Et vt ſẽper pannus, tela, calcei, & alia neceſſaria ibidem ſint in promptu, ac ne fratribus aliquid deſit, diligenter prouideant, & Cuſtodem (quo inconſulto nemini quicquam dabunt) tempeſtiuè ea de re præmoneant.

Cum autem penſio florenorum 100. ex bonis menſæ Fratrum, in 3. capitulo Generali, pro neceſsitatibus Veſtiariæ, aſsignata, nequaquam ſit ſufficiens, ideò Reuerendiſsimus Dominus Generalis, pro ſuo Paterno in Fratres affectu, ex bonis mẽſæ ſuæ, in eum vſum, nomine penſionis Annuæ, pro ſingulis Feſtis S Michaelis ad manus veſtiariorum ſoluendæ floreno. 200. perpetuò aſsignat, & vt pro hac vtraq; ſumma ſimul iuncta, ſingulis annis prædicta neceſſaria ad veſtiariam comparentur, ſtatuit, & ordinat. Quod ſi, nec hæc ſumma in eum vſum fuerit ſufficiẽs, reſiduum ex reditibus ad menſam communem ſpectantibus, ſuppleri debebit, ita vt nequaquam Fratribus aliquid neceſſariorum deſit.

Veſtiariorum quoque curæ erit, vt libri in Bibliotheca Monaſterii depoſiti, à pulueribus, & tineis ſæpius excutiantur, & ordinatè ac ſuis locis collocentur, vtq; index illorum ſufficiens ſemper habeatur, quorum vnus circa veſtiarios, alter penes prælatum retineatur. Nec alicui Fratri ex Bibliotheca extradentur, niſi nomine tàm Fratris librum accipientis, quàm Authoris libri, in tabulam ſeu in ſchedam ad id affixam memoriæ cauſa relato.

Etſi verò omnium bonorum ad menſam Fratrum pertinentium adminiſtratio ad illos pertineat; eadem tamen bona, irrequiſito

conſenſu

consensu Reuerendissimi & Consiliariorum non elocabunt, nec de vendendis decimis, ad mensam Fratrum pertinentibus, in scio vel in consulto P. Custode, alijsq; Fratribus in Conuentu præsentibus quidquam statuere poterunt. Illi autem Fratres qui tempore decimationis, ad hoc negotium deputati fuerint, sobrié, & tempestiuè ad Conuentum redire debebunt.

DE OFFICIO.

THESAVRARII & SACRISTÆ Senioris, qui idem & Magister Cæremoniarum.

QVandoquidem ex antiqua consuetudine huius Ecclesiæ, duo Fratres ad suppellectilem Ecclesiasticam cõseruandam designari soleãt, alter quidem in Thesauro, alter verò in Sacristia. Attẽdet Pater Custos, vt vterq; suo munere rectè & sedulo fungatur.

Et Thesaurarius quidem conscripto suppellectilis preciosioris, quæ in Thesauro conseruari solet, sufficiẽti Inuentario, diligentèr argentum Ecclesiæ, & vestes pretiosiores asseruabit, nec eas ad vsum facilè extradet, nisi solemnitate festi, vel Personæ qualitate id exposcente.

Reliquiarum quoq; sacrarum, indicem, à nobis nupèr conscriptum, semper in promptu habebit. Ipsæ autem Reliquiæ tàm quæ in Crucibus, quàm quæ in Thecis argenteis, & Cistula cum Cardinibus & sera argenteis, sunt depositæ, vnà cum Authentico, à S. Carolo Borromeo super easdem reliquias, Illustrisimo olim Cardinali Bathoręo Conuentus huius Præposito concessas, subscripto, & obsignato, in Armariolo decenti, nupèr ad id præparato, maiori studio & reuerentia, quàm hactenus factum comperimus, à The-

ſaurario ſeruentur, & nemo audeat in poſterum quidquam de illis detrahere, vel cuipiam donare, ſub pæna Excommunicationis ipſo facto incurrenda.

Dum verò Sacræ Reliquiæ in publicum exponuntur, ab ipſis Presbyteris ſuperpelliceis indutis, præmiſsis luminaribus, ſumma cū Reuerentia in altare deferantur, & rurſus in Sacrarium reportentur. Idem & Priuilegia Eccleſiæ diligentèr conſeruabit, & eorum Summarium indicem nuper conſcriptum, in Theſauro retinebit, vt faciliùs cum aliquod Priuilegium requiretur, per eum reperiri poſsit.

Sacriſta autem curabit, vt ſuppellex Eccleſiaſtica, ad Sacriſtiam pro communi vſu, à theſaurario, ſub Inuentario ſibi tradita, mundè & ordinatè conſeruetur, & ſi quæ fuerit lacera reſarciatur. In quem vſum cum nulla Prouiſio antea facta fuerit, aſsignat Reuerendiſsimus ex prouentibus Menſæ ſuæ, Penſionem annuam floren: 100. perpetuis temporibus ad manus Senioris Sacriſtiani, vel Theſaurarii reddendam. Quam ille pecuniam, cum ſcitu Cuſtodis in reficiendam veſtem ſacram, vel nouam, ex viliori materia pro quotidiano vſu comparandam conuertere, & de illa ſingulis annis Præpoſito Generali vel Cuſtodi, cum Veſtiariis, rationem reddere erit adſtrictus.

Sacras autem Veſtes, Miſſam celebrare volentibus, promptè exhibeat, & ea quæ ſunt ad altare neceſſaria, tempeſtiuè per ſe, vel per Iuniorem Collegam ſuum ſubminiſtret. Ac prætereà Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum, Æſtate octauo quoq; die, Hyeme verò decimo quinto renouet, & in renouatione fragmentorum diligentem curam habeat.

Idem etiam munus Magiſtri Cæremoniarum obibit. Cui omnes fratres ſine contradictione, in iis quæ ad Cæremonias & Diuina officia ritè obeunda pertinent obediant, ſub pæna arbitriaria per

nos vel

nos vel P. Custodem contrauenienti, ex delatione dicti Magistri, imponenda.

Officium autem Magistri Cæremoniarum, hoc primum erit, vt denuntiet singulis Fratribus suum officium, circa Diuina Ministeria adimplendum:vel potius in tabellam singulis Hebdomadis referat, qui, quo tempore, quouè ordine, inseruire debebunt. Diebus verò Festis post Missarum solemnia lectum Sacrum in vsum aduenarum reseruabit.

Curabit præterea, vt Fratres recenter ad Ordines Sacros promoti,in officio ordini suo annexo diligentèr se exerceant, & vt omnia rectè decéterq; circa Diuina officia fiant, iuxta præscriptum cæremonialis & Rubricas Missalis Romani.

Idem aduertet vt Presbyteri adminus octauo quoq; die, Pænitentiariis ad id deputatis peccata sua confiteantur, & singulis diebus Festis (nisi quis illorum legittimè fuerit impeditus) missas celebrent; Celebraturi verò,vt vnico saltim quadrante antequam ad altare accedant, Orationi mentali vel vocali vacent, atq; idem peracto Diuino officio faciant, iuxta puncta meditationum ad calcem officiorum ordinis inserta. Qui autẽ hac in parte fuerint negligentes, eos Capitulo Septimanali deferat.

Præcauebit etiam ne expectẽt Eleemosinarũ aggregationẽ celebraturi,sed ex Præscripto officii,singuli munꝰ suũ obeãt. Peregrinos item & vagos Presbyteros nõ permittat in Ecclesia celebrare, donec testimoniũ Canonicæ Ordinationis exhibuerit. Idem etiã die aliqua solemni instante, cum Rñdissimus Pontificaliter est celebraturus, ministrantes tempestiuè ordinabit, & vt ab iis Cæremoniæ iuxta præscriptum Cæremonialis Romani obseruentur, diligenter attendet. Ac præterea in eadem solemnitate ad Primas Vesperas,binos Præcentores asignabit, qui pluuialibus,induti,in vtrisq; Vesperis concorditer præcinant Antiphonas, & Versus a-

perta voce, dum organa pulsantur legant. Quibus etiam diebus, vt omnes Fratres superpelliceis induti, Missarum solennis in Choro, & sacris Concionibus intersint, idem Cæremoniarius aduertet, & negligentes P. Custodi denunciabit.

DE OFFICIO SACRISTÆ IVNIORIS.

SAcristæ Presbytero adiungi debet Clericus, in maiori aliquos Ordine Constitutus, propter attrectanda vel deferenda vasa sacra. Cuius officium erit, præparare & studiosè adornare altaria, Calices, Corporalia, & Purificatoria munda, celebrantibus decentèr subministrare, Hostias, vinum, aquam claram & mundam, vrceolos, cereos ignem ad vsum rei sacræ, opportuno tempore parata habere. Externis & aduenis à Seniore Sacrista admissis, volentibus celebrare, vestes sacras libentèr & cū charitate ministrare.

Lauacrum tersum, cum munda aqua & mantilibus mundis in numero sufficienti, peluim item pro abluēdis Corporalibus, & Purificatoriis, prouidere. Vasculum Aeneum pro carbonibus in Ecclesiam deferendis, Forcipes pro Hostiis scindendis, Lampades plures pro necessitate occurrente, Vasa olearia magna ad vsum lampadis, Lucernas duas hastis affixas, ad vsum deferendi venerabile Sacramentum ad infirmos, Tripodes cum vasis ferreis superimpositis ad ignem deportandum, Turribula, Maleolos, ad affixionem tapetum, Scopas maiores ad purgandum Templum, Minores ad vestes excutiendas ac reliqua. &c.

Suppellectilem in vsum Sacristiæ in promptu habere, Personas Laicas, & ad seruitium Diuinum nō pertinentes, à Sacristia arcere. Ad fores Sacristiæ, Vasculum Aeneum vel stanneum, cum aqua

benedicta, & aspergiolo decenti habere. Hostias recentes & benè à fragmentis purgatas, in vase mundo, plumbeo circulo desuper tectas, reseruare, & pro iis conficiendis ferrea instrumenta, & farinam triticeam recentem, & mundam, tempestiuè prouidere, vtquè Æstiuo tempore singulis septimanis, Hyemali verò singulis quindecim diebus pinsentur, attendere.

Metricam Baptizatorum & Matrimonia contrahentium, Missalia, ac reliquos libros, pro communi necessitate & commoditate Ecclesiæ seruiētes, vtpote librum Agendorum, Graduale, Psalterium, Libros ad cantum Ecclesiæ spectantes, &c. ordinatè & diligenter asseruare; Et vt præterea super singula altaria Tabulæ Secreta Missæ continentes habeantur; vt pauimentum Ecclesiæ à sordibus mundum conseruetur, & quoties in Ecclesia mortui sepeliuntur, vt lapides sepulchrorum reliquo pauimento coæquentur; vt ad Ecclesiam & Sacristiam seræ sint firmæ, vt Ecclesia debitò tempore claudatur, & tempestiuè propter laboriosos homines aperiatur; Vt ad ianuas Ecclesiæ intus aqua benedicta in vase conueniente, munda, noua, & clara ad vsum introeuntium cum aspergiolis binis retineatur, & vt Cæmiterium de nocte claudatur, prouidere. Ne deniq; in porticu Ecclesiæ colloquia aliqua profana & inhonesta tàm à secularibus quàm à Religiosis misceantur, neuè aliquid in ea indecens admittatur, prohibere.

OFFICIUM CANTORIS.

CAntor ordinarius per Custodem is ex Fratribus assignetur, qui Diuinis officiis in choro præesse, & qui disparitatem & dissonantiam canentium moderari sciat. Fratres autem ad Antiphonas

phonas & Responsoria cantanda, dato per Cantorem signo, omnes assurgant, & ea æquali voce decantent. Hebdomadarii verò in cantu horarum alternatim intonent, ac cæteris in cantando præeant.

De Officio.

MAGISTRI NOVITIORVM: ET DE Institutione tàm in Nouitiatu existētium quàm Iuniorum Fratrum Professorum.

Magister Nouitiorum educationi & informationi, non tantum Nouitiorum, sed etiam Diaconorum, Subdiaconorum, & clericorum Professorum, attendere & diligenter aduertere debet, vt prædicti omnes tonsuram, & habitum talarem, ordini cōgruentem deferant; Confessionem adminus bis in mense, Magistro vel ordinariis pænitentiariis, ad confessionem aliorum Fratrum excipiendas, deputatis, faciant, & sacram Communionem semel in mense, præter dies Festos solemniores, frequentent; ac vt ea omnia sciant, quæ ad eorum munia ritè obeunda spectant. Si qui autem Nouitiorum officio suo suo defuerint, eos seriò corripiat & in eorum vitam & mores diligenter inquirat: Illaque omnia obseruet, quæ in Constitutionibus Capitulorum Generalium, de iis laudabiliter præscripta habentur.

Porro si quis Nouitiorum in Nocturna vel furtiua egressione è Monasterio deprehensus, vel cum mulieribus, inscio Magistro collocutus fuerit, vel furtum de rebus Monasterii, aut Conuentus fecerit, vel lusui Chartarum & alearum indulserit, eundem à Magistro Nouitiorum primum Patri Custodi, deinde toti Capitulo denunciatum, statim è Monasterio, & è societate Fratrum eiiciendum

endum decernimus. Si quis verò ex Professis Iunioribus, in tali (quod absit) delicto repertus fuerit, præter pœnas in Constitutionibus prioribus ordinis determinatas, etiam sessionem vnius septimanæ in arctioribus Carceribus, & trium dierum Ieiunium in pane & aqua, talem omninò subire debere declaramus. Præcipuè vero curæ Magistro Nouitiorum erit, vt Nouitii non tantùm eos labores, quos Fratres ferre solent, subeant; sed etiam vt iuxta consuetudinem septimanatim assignati in Refectorio mensas mundas, & nitidas semper retineant. Aquam recentem in lauaterio mundo tempestiuè subministrent: Dormitorium & Refectorium purgent, & in aliis humilitatis officiis diligenter se exerceant: Singulis item diebus Dominicis & Festis, bini sub cantu Euangelii candelabra gestatoria, cum cæreis accensis teneant, & præterea candelas gestatorias ad eleuationem venerabilis Sacramenti accensas, iisdem diebus, ante maius Altare, proferant.

Cum autem ad rectam Nouitiorum institutionem, plurimum cōducat si separatam à reliquis Fratribus (prout in aliis Cænobiis rectè institutis videmus) mansionem habeant, vt videlicet quietius suis muniis attendere, & Spiritualibus exercitiis liberiùs vacare possint; Ideo curæ erit nobis, vt primo quoque tempore Nouitii vna cum Magistro suo, non tantum suum hypocaustum à communi Refectorio distinctum, sed etiam cubicula à reliquo Dormitorio, peculiari clausura separata habeant, & Professis fratribus, nisi cum ad Diuina officia, vel ad mensam procedendum erit, non se immisceant.

Ibidem etiam Lectiones (quæ vt singulis diebus professis pro captu Auditorum, binæ, altera sacra, altera prophana habeantur, Præposito Generali curæ erit) iis prælegentur; quibus singuli tàm Nouitii, quàm iuniores Fratres Professi interesse debebunt; vt autem non minus in studiis, quam in pietate & timore Dei maiorem

in dies profectum facere assuescant, eis singulis diebus partem pii alicuius libelli, Magister Nouitiorum perleget, & eos in omni pietate, & religione sedulò informabit. Porro cum omnibus Religionibus plurimũ inde dignitatis & vtilitatis accedat. Si plures viros doctos & eruditos habeat, ideò de cõmuni omnium Fratrum consensu statuimus & ordinamus, vt non tantum expensione annua de Præpositur æ Wrocimouień. prouentibus, in Cap. 3. Generali assignata (quam tamen ob temporum iniquitatẽ, vita moderni Præpositi durante, ad flor. 80. post obitum autem ipsius ad centum quinquaginta florenorum, moderandam esse duximus) tot Fratres continuò in Academia Cracouiensi foueantur, quot inde ali possunt, sed etiã cum Præpositura Gnesnensis, habeat non contemnẽdos reditus, onera autẽ ad exigua illi sint annexa, vt in posterũ Præpositus Gnesnensis (moderno duntaxat excepto) sumptu suo duos Fratres à Præposito Generali delectos in Collegio Posnaniensi, vel Calisiensi, prout eidem Generali videbitur, alere, & eosdem omnibus necessariis prouidere, perpetuis temporibus sit astrictus.

De Officio Magistri Infirmorum.

CVm Fraterna Charitas, quæ est vinculum omnium Religionum, circa Fratres in Infirmitate constitutos, maximè elucescat, volumus vt iuxta Constitutionẽ quintam, Cap. Gen. 3. præficiatur Capitulariter semper vnus ex Patribus, qui habeat curam Infirmorum, & bonorum ad Infirmariam pertinentiũ. Quæ nuper prædio Gluchow, à nobis ad id deputato, sunt aucta. Sit autem Magister infirmorum & viribus validus, & charitate feruens, qui sciat condolere infirmis, & eis obsequia conuenientia præstare.

Is autem

ſis autem Inuentarium Autenticum, manu Patris Custodis ſubſcriptum, de omnibus ad Infirmariam ſpectantibus, habeat; & rationem ſuæ adminiſtrationis, ſingulis Anni Quartualibus, eidem Patri Custodi & duobus Fratribus, ex Capitulo deputatis, reddere teneatur.

Locum Infirmariæ, lectulos, puluinaria, linteamina, & aliã ſupellectilem purgari crebro faciat, & munda retineat, prouideatq; vt omnia neceſſaria, ad infirmorum curam pertinentia, præſertim verò Sirrupi, & cætera medicamenta, iuxta præſcripta medicorum, infirmis debitis temporibus miniſtrentur. Et cibi non communes ſed meliores & molliores, pro neceſſitate illorum, prouideantur. Frater autem infirmus, dum adhuc eſt viribus integris, in manus Patris Custodis, & Magiſtri Infirmorum libros & omnem ſupellectilem, cuius hactenus vſum habuit reſignet, & ſe ab omnibus expropriet; Ea autẽ quæcunq; reſignauerit, fideliter per Magiſtrum conſcribantur, & conſeruentur. Et eidem fratri, ſi conualuerit reſtituantur. Si verò è viuis deceſſerit, ad vſum Monaſterii, cum ſcitu Præpoſiti Generalis, iuxta ordinationem, in Capitulis Generalibus præteritis factam, conuertantur.

Præcipuè verò idem Magiſter, infirmum Fratrem, ad deuotam Sacramentorum perceptionem, tempeſtiuè hortabitur, & ei agonizanti, & ipſe diligenter aſsiſtet, & vt alii aſsiſtant, P. Custodem tempeſtiuè præmonebit, libroſq; ad animam cõmendandam ſpectantes, vtpotè Polancum, & Ianuſſouiũ de arte moriẽdi, in prõptu habebit. Ac reliqua omnia obſequia prõptè & alacriter ei præſtabit, vberem eius laboris mercedem à Deo recepturus.

Quod ſi circa curam Infirmorum fuerit negligens, talis priuatione officii puniatur, & alter in locum eius ſubſtituatur.

Inquiremus autem & nos ipſi ſolicitè, de defectib9 infirmorum & diligentiã paternam, circa valetudinem ipſorum, adhibebimus.

De Officio Dispensatoris, ac Culinæ, Cælarii, & Molendinorum, Prouiſorum.

Singuli horum eligantur in Capitulo de conſenſu maioris vel ſanioris partis, qui ſint viri boni, prouidi, fideles, ſolliciti, & in re Oeconomica benè verſati.

Quorum munus erit, communicato cum Patre Cuſtode & Veſtiariis Conſilio, omnia neceſſaria, pro victu Fratrum tempeſtiuè procurare, & vt cuilibet eorum debita carnium, Piſcium, Panis, ceruiſiæ, portio obtingat, diligenter prouidere.

Ita tamen ne quis portione, quæ ſibi obtigit, tanquam propria vtatur. Sed ſi quid reliquum fuerit, id non pueris, quos deinceps, nullus ſine expreſſa ſuperioris licentia tenere præſumet, affinitate coniunctis, vel ad obſequia aſſumptis concedatur, verùm arbitrio ſuperioris diſtribuatur, iuxta præſcriptum Cap. Generalis ſecundi. Lib. 3. Conſtitut. 7.

Porrò, cum dicti Officiarii, plerunq; inordinata cupiditate, emolumentū ſibi quærere de bonis Conuētus non vereātur, & propter ſua priuata commoda, magnam ſæpenumero iacturam in bonis communibus faciant, prætendentes id ſibi licere propter labores & moleſtias, quas in tali obſequio ſuſtinent.

Proindè præcauentes ne in poſterum aliquid huiuſmodi facere præſumant, ſtatuimus vt ſi qui tales ex rationibus ſingulis menſibus Patri Cuſtodi, & Veſtiariis reddendis, depræhenſi fuerint, ab eo officio ſtatim ammoueantur & præterea ſeuerè puniantur.

De Officio Ianitoris.

STatuimus vt in posterum portitor siue Ianitor (qui ad Ianuam Conuentus in Hypocausto, ad eum præcipuè vsum, nouiter constructo, semper inuigilet) fidelis à Patre Custode instituatur. Huius officium erit, ne quam ex prohibitis personis, iuxta Bullam summorum Pontificum Pii V. & Gregorii XIII. septa Monasterii ingredi patiatur, illaque omnia arctissimè præcaueat, quæ Const. 6 Lib 3. cap. Gen. 2. de clausura in constitutionibus expressa, habentur. Idem diligenter illos Fratres obseruabit, qui cum mulieribus colloqui, à Patre Custode vel qui illam dare potest, facultate non accepta, præsumpserint, & tales Patri Custodi, nil dissimulando, deferet. Neminem præterea nisi licentia à superiore obtenta (quam ille binis tantum, idq; hora reditus præfixa, concedere debebit) extra claustru m egredi permittet, & vt portæ claustri semper clausæ habeantur, diligenter aduertet.

Quod si quempiam ex Fratribus, per falsas & secretas portas de Conuentu, siue noctu, siue interdiu, egredi & extra Conuentũ pernoctare cognouerit, de tali mox Patri Custodi significet, eumq; manifestet, vt pro tali & tanto crimine eas pœnas luat, quæ superiùs sunt expressæ, alias si P. Custodem de aliquo celauerit, Carceris, vel aliquam aliam Pœnam, arbitrio eiusdem imponendam, ipse subire debebit.

Eiusdem quoque officium erit. In Dormitorio noctu, antequã se Fratres Cubitum conferant, lumen in lucerna affixa tenere, & iterum quando datur pulsus ad Matutinum, illud accendere.

De Officio

OMNIVM FRATRVM IN CONuentu manentium, tàm quo ad vitam religiosè instituendā quàm quo ad Sacramenta ritè administranda.

CVm præcipuum studium Religiosorum esse debeat, conari die noctuque, vt anima illorum per orationem & contemplationem Deo sit coniuncta. Ideo Fratres omni studio & diligentia orationi & contemplationi quàm sæpissime vacare, & mentem suam in Deum eleuare, omnesque actiones suas ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum Regularium, dirigere debent. Qui enim in Conuentu, vitam Professioni suæ consentaneam, non agunt, frustra viuunt in Monasterio, Fundatoresque decipiunt, qui pias & religiosas illorum eleemosinas indignè absumunt.

Præcipuè autē Temperantiam sanctam, in esca & potu (in quo mensura in Cap. Gen. 1. cap. 7. descripta, in posterum obseruari debebit) seruēt; quatenus omni die, ad tremendū illud Missæ sacrificiū peragendum, dignè accedere sint parati; vtque preces eorū, quas fundunt pro plebe, in conspectū Dei ascendant, & sint ad impetrandum, id quod petunt, efficatiores. Ebrietatem autem veluti vastum quoddam vitiorum omnium Pelagus, summo studio fugiant. Nihil enim minus decet Religiosos, quàm computatio & comessatio. Siquidem tales, Monasterium pœnitentiæ & sobrietatis receptaculum, in luxus, deliciorumque voraginem, cōmutant.

Inuicem sibi honorem deferant; Iuniores Presbytero venienti in Ecclesiam, vel in Commune Hyppocaustum, assurgant, & debito ho-

bito honore eum præueniant. Cum autem maledictus sit homo, qui opus Domini facit neglıgẽter. Ideò diuina officia, iuxta distributionem horarum à nobis præscriptam, & circa finem Constitutionum Præsentis Capituli insertam, attentè & distinctè absoluant, & in iis piè, ac deuotè, se gerant; Psalmos, & Lectiones (quæ etiam à Presbyteris legi per ordinem debent) distinctè pronuntient, memores præsentiæ Dei, in cuius conspectu, vnà cum purissimis illis Angelicis Spiritibus, laudes Diuinas decantant.

Ad prolationem autem nominis Iesu, Beatissimæ Mariæ Virginis, vel Gloria Patri &c. capita aperiant, & reuerenter assurgant. Presbyter item Homiliam lecturus, semper in medium iuxta antiquam consuetudinem, egrediatur.

In Chorum quoties veniunt, genu flectant, & antequam Stallum ingrediantur, vnam Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dicant. Eodem quoque ordine è Choro discedant. Sub tempus autem horarum Canonicarũ, non debent indè exire, nisi vrgente necessitate, licentia tamen prius à superiore accepta.

Circa mediam noctem (diebus Festis solemnioribus, in Distributione horarum infra apponẽda, specificatis, exceptis: quibus propter populi commoditatem, circa tertiam horam post mediam noctem, in Choro inferiori, præmisso competenti pulsu, & Foribus Ecclesiæ apertis) in posterum Matutinum decantari debere censemus. Signo dato omnes ad decantandas matutinas preces, protinùs se se in Oratorium cõferant, præcincti zona, supra tunicas vel pelliceos. Eos autem qui ad decantandum matutinum non veniunt, Prima quidem vicè vno ferculo, altera duobus, tertia omnibus ferculis prandii atq; potu Pater Custos priuet. Quod si aliquis ampliùs negligens esse perexerit, ad extremum nobis tàm negligentem & desidem Fratrem denunciet.

In absentia autem nostra, eum publicè in Capitulo coarguat, & talem

talem Pœnitentiam ei aſsignet, vt correctus nunquam poſthac officio ſuo deſit, qui autem aliquam ex horis diurnis intermiſerit, is pro hac negligentia, quinque Orationes Dominicas, tempore Prandii, flexis in terra genibus, recitabit.

Cum verò ad vitam Spiritualem inſtituendam, & Diuinum amorem concipiendum plurimùm, oratio mentalis conducat, iuxta id quod ait Pſalmiſta. In meditatione mea exardeſcet ignis. Ideò Fratres ſingulis diebus, iuxta Præſcriptum, in diſtributione Horarum inferius inſertũ, adminus vnã quartã horæ Orationi mentali (ſumpta Methodo, in libello de vita religioſè inſtituenda, Autore Patre Aluares Societatis Ieſu, deſcripta) vacabunt. Veſpertino autem tempore, non prius ſe cubitum conferent, quàm examen conſcientiæ iuxta Præſcriptum eiuſdem libelli, (vel quod ad calcem patronorum Ordinis habetur) præmiſerint.

Conſt. 6. Cap. Gen. 2. de Clauſura Conuentus, ſimiliter Conſtit. 2. Lib. eiuſdem, de fugiendis colloquiis & familiaritate cum mulieribus, Fratres exactiſsime obſeruent. Quòd ſi quis tranſgreſſor illarum repertus fuerit, & ſi cum mulieribus licentia non obtenta, colloqui, vel per falſas & ſecretas portas, de Conuentu noctu vel interdiu exire, & extra pernoctare audeat, preter pœnas in Conſtitutionibus Ordinis determinatas, etiã ſeſsionem triũ dierũ in arctioribus carceribus, talem ſubire debere, declaramus.

Luſum chartarum, alearum, ac teſſerarum omnino in Conuentu prohibemus fieri, deprehenſi autem, in pane & aqua, ieiunare vnum diem cogantur.

Habitum honeſtum non tamen ſuperfluum, huic noſtræ religioni peculiariter in præteritis Capitulis aſsignatum omnes deferant, præſertim verò Pallium ad brachia emittẽda ſciſsum, & Cruce rubea geminata inſignitum.

Arma in cellis non retineant, ſed ſi quæ pro vſu itineris habuerint, ea in communi Veſtiario aſſeruanda, deponant. In

In Cellis ſinguli detineant imaginem Crucifixi, & alias pias Sāctorum imagines, illas autem non habenti, de communi carbona ex ſorte eum concernenti per Patrem Cuſtodem cōemantur.

Silentium omni tempore ab omnibus Fratribus in Choro, Refectorio, & in Dormitorio ſeruetur, excepta vna hora recreationis poſt prandium, & altera poſt cænam ſeu ſeſsionem, ac media poſt horas Veſperarum. Si vero improbitas vel importunitas alicuius Fratris abſq; licentia ſuperioris, & abſque vrgenti cauſa ſilentium fregerit, vel diſtributioni horarum non attenderit, à Patre Cuſtode puniatur, prout ſuperius de officio Cuſtodis eſt expreſſum.

Literas inſcio Superiore nec ab aliis recipiant, nec ipſi mittant, & eas in poſterum ſigillo communitatis obſignent. In omnibus denique actionibus ita ſe Fratres gerant, quemadmodum Regula ipſa, quæ totius Religioſæ vitæ normam tradit, & vocatio illorum requirit.

Porrò quandoquidem huic Eccleſiæ noſtræ Conuentuali annexa eſt cura animarum, hortamur plurimum omnes Fratres vt Sacramenta Parochianis decentèr & tempeſtiuè adminiſtrent, iuxta præſcriptum Capituli Generalis Secundi toto lib. I. quem diligenter quilibet Preſbyter perlegat, & quantum fieri poteſt memoriæ mandet. Librum etiam Agendorum & Epiſtolam ad Parochos, ſinguli præ oculis habeant, & in adminiſtratione Sacramentorum ſe, quàm maximè eis accomodent.

Quoties Sacramentum Baptiſmi adminiſtrari contingit, ipſe Presbyter ſuperpelliceo indutus, reuerenter per ſeipſum, non vero per Clericum (quod hactenus minus decenter fieri conſueuit) Olea ſacra ad fontem deferat: gratis & prompte (niſi ſi quid ſpōte ratione eleæmoſinæ offertur) vt alia Sacramenta, ita & hoc adminiſtret, & quidem cum actuali intentione regenerandi hominem in Chriſto, & faciendi quod facere intendit Eccleſia, adhibita de-

bita debita materia & forma. Aqua autem capiti infantis infusa, in vas ad id destinatum excipiatur, ad eamque superfundendam non vola manus, sed cochlear aliquod argenteum vel stanneum paruum adhibeatur.

Illi qui ad Confessiones excipiendas pro tempore fuerint destinati, & ab officio approbati ea omnia quæ in lib. 1. Constit. 5. cap. 2. Generalis præscribuntur ad amussim obseruent, ac prætcrea nouerint, quæ sint Pœnitentię partes, quæ huius Sacramenti necessitas, quæ Materia, quæ Forma, quis illius effectus, quis minister, quæ conditiones in eo requirãtur, quæ regulæ ad dignoscendum & distinguendum peccatum mortale à veniali, quando & quibus de caussis confessio est iteranda, quæ sint circumstantiæ peccatorum, & quæ mutent speciem peccati, quæ restitutionem postulent, quibus criminibus annexæ sint censuræ, qui denique Casus sedi Apostolicæ, & qui Loci ordinario reseruantur, &c. Sciant item pro statu cuiusque personę accomodandum esse excipiendarum confessionum modum, vt aliter eorum qui Matrimonio iuncti, aliter Continentium, aliter Laicorum, aliter Clericorum, exploretur conscientia.

Qua in re, vt Confessarii tanto diligentius se exerceant, plurimum expedire iudicamus, si per duos eruditos Fratres in Capitulo Generali ad hoc munus deputatos, singulis quatuor anni temporibus, de profectu in studiis, Casuum conscientiæ examinẽtur. Et quomodo peccatorũ rationes & discrimina cognoscere possent, informentur. A quibus etiam illi qui Ordinibus sacris adscribendi erunt antequam ad Episcopos mittantur, examinari debebunt, an ea eruditione sint præditi quam illius gradus, ad quem promouendi sunt functio desiderat, iuxta Constitution: 6. libro. 2. Cap. Gen. 2.

Propter Religiosos verò cõfitentes necessariũ omnino videtur, vt Con-

vtCōfeſſarii Ordinis noſtri Caſus Religioſorū reſeruatos nouerīt, à quibus iidem, non niſi à propriis Prælatis, vel ab illorum ſubſtitutis abſolui poſsint. iuxta ordinationem Bullæ à Clemente Octauo. quæ in officio Patronorum Ordinis inſerta habetur, ſuper ea re emanatæ. ſecundum quam & Conſtitutio illa, quæ lib. 2. Cap: Gen: 2. de Caſibus ſuperiori Ordinis noſtri reſeruatis habetur, eſt moderanda.

Euchariſtiæ Sacramentum cum in Eccleſia diſtribuitur, candella accenſa à Clerico ſuperpelliceo induto præferatur. & mantile mundum, vel Patina mentò communicantium ſupponatur.

In Pixidibus ſeu Vaſis cum ad Infirmos, in Ciuitatem itur, ſint cōſecratæ adminus duæ vel tres Hoſtiæ, vt in reditu remaneat Hoſtia quæ à populo adoretur.

Quoties verò Preſbyter defert ad Infirmum Diuiniſsimum hoc Sacramentum, ſemperdeinceps adhibeat Clericum coadiutorem, ſuperpelliceo indutum. Adhiberi etiam debet cātus per duos Scholares, à nobis & à Fraternitate S. Annæ ſalariatos cum luminibus accenſis inter eundum & redeundum. Preſbyter autē deferens ne minimum quidem oculos à Sacratiſsimo Sacramento remoueat, & antequam domum infirmi ingrediatur, præmittat, qui locū præparet pro decenti huius Sacramenti collocatione. Infirmumq; verbis ad id idoneis hortetur, vt humiles Deo gratias agat quod dignaretur ad ſe venire, ac poſt ſūptionem iterum moneat; vt acceptam per hoc Sacramentum gratiam, in ſe diligenter conſeruet.

In Concionibus quoq; frequētèr populus moneatur ad hoc Diuiniſsimum Sacramentum cōmittandum, propoſitis indulgentiis à Sūmis Pōtificibus, iis qui huic tam pio operi interfuerint, cōceſsis.

Vſus Sacramēti Extremæ Vnctionis ſimilitèr à Cōcionatore ſæpius populo inculcetur, & Infirmis quoties illud poſtulauerint, nō differatur adminiſtrari.

 Presby-

Presbyter autem cum Clerico, accepto superpelliceo & stola cum vasculo olei infirmorum, atq; aqua benedicta, accedat ad ægrotum, interim dicens Psalmos pœnitētiales vel alias preces pro infirmo. Cum verò ad locū venerit, paratis omnibus, accensa candela Sacramentum ex libro rituali conferat.

Commendationi item Animæ Agonizantium libentèr assistant Presbyteri vocati: ipsosq; in huiusmodi vltimo vitæ conflictu constitutos, oratione adiuuent, & corroborent, iuxta præscriptum Polanci de modo iuuandi morientes, & Ianussouii de arte moriendi.

Cum autem Regula & Regulares Constitutiones seriò prohibeant, ne Fratres paupertatem Professi, etiam doni vel Eleæmosinæ nomine, inscio superiore quicquam recipiant, ideò veteri consuetudini inhærentes, statuimus, vt oblationes & Eleæmosynas quæ dantur pro celebratione Missarum, vel pro Administratione Sacramentorum nemo audeat pro se vsurpare, sub pæna Sacrilegii, sedi statim illas referat ad Sacristam, qui in Regestrum ad hoc paratum Illas adnotet, & in carbonam communem deponat, quam singulis Quartualibus in præsentia Patris Custodis aperiet, & pecuniam inde prouenientem inter Fratres ex æquo diuidet. Verum vt vitium Proprietatis quod Paupertati Religiosæ maximè repugnat, faciliùs à Fratribus in Monasterio degentibus euitari possit, decernimus vt in posterum pecuniam, tàm ex communi carbona, quàm aliunde prouenientem, omnes in vnum promptuarium pro numero Fratrum, Cistulis serratis distinctum deponant, à quo clauis sit penes Custodem, à singulis autem Cistulis penes Fratres prout eos concernét, ita vt securi quidē sint de deposito, eo tamen, inscio Præposito vel Custode, pro sua voluntate vti non posint.

Vt autem faciliùs Fratres nostri percipere, ac cōcoquere posint, quantò in periculo salutis æternæq; damnationis, omnes ii versentur Religiosi, qui (& quidem sine vllo prorsus conscientiæ scrupulo) ita

lo) ita deteſtandæ ac perniciosæ inhiant proprietati, ac ſi nullum vnquam S. Paupertatis ſolemne votū emiſiſsent,& ne hoc malum vlterius ſerpat; hæc puncta ad euitandam proprietatis labem, tàm ex SS. Canonibus, quàm etiam Oecomenicorum conciliorum decretis,ipſaque ſanctiſsimi P. N. D. Auguſt: Regula deprompta hic inſerenda, diligentique Fratrum trutinæ, ac conſiderationi comittenda eſſe duximus.

1. PROPRIETAS IN QVOLIBET RELIGIOſo ordine, omnium diſſolutionum exorbitantiarumque eſt primaria & Principalis cauſa, ex qua cum alia plurima, tùm potiſsimum execrandum Auaritiæ vitium inter Religioſos exoritur, hinc verò poſtea rixæ, contentiones, contra Superiores murmurationes,imò etiam conſpirationes voluntariæ ac deliberatæ, Statutorum ordinis votorumq; eſſentialium tranſgreſsiones, aliaq; infinita mala facile ſubſequuntur.

2. Communis vitæ ratio quo ad victum, & veſtitum adeò eſt Religioſis neceſſaria, vt ea non diligenter obſeruata Paupertatis votum (quòd nil proprii admittit) vix ac ne vix quidem inuiolatum eſſe poſsit. Vnde tàm Prælati quàm ſubditi grauiſsimè peccāt, & ſunt in ſtatu damnationis, per quos ſtat quò minus omnes Religioſi vitam agant communem.

3. Religioſus Profeſſus ſolenniter cuiuſcunque inſtituti Ordiniſue fuerit, ſimpliciter eſt incapax, in particulari omnis dominii rerum mobilium, & immobilium temporalium, Quia per ſolemnem Profeſsionem, non tantum renuntiat, omni dominio, ſed etiam reddit ſe in capacem illius Et hoc intelligendum eſt de quibuſuis Religioſis etiam Beneficiariis,quales ſunt in Religione noſtra Præpoſiti, Plebani, qui licet habeant ius adminiſtrādi & diſpenſandi fructus ſuorum beneficiorum,non tamen habent dominium tàm ipſorum beneficiorum,quàm fructuum. Vnde non poſsunt de

his fructibus aliter disponere, nisi ad congruam statui suo susten-tationem, Ecclesiæ necessitates, aliasq; pias causas, & non in res vanas, nec ad ditandos amicos, alioquin non tãtum ipsi beneficiati, sed & illi peccant, qui ab eis aliquid (nisi fortè per modum Eleemosinæ) accipiunt.

4. Peccat Religiosus mortaliter, si velit penes se aliquid retinere, tanquam proprium, aut eo vti, tanquam proprio, & independenter à Superiore.

5. Peccat similiter, si donet aut alienet aliquid sine tacita vel expressa facultate Superioris, & talis alienatio cum sit illicita; irrita est censenda, nec ille qui donum à religioso accipit, suum facit, sed tenetur superiori religionis restituere, iuxta Bullam Clementis VIII, quæ incipit, Religiosæ.

6. Si est Religiosus dispensator aut administrator aliquarum rerum, non potest eas distribuere pro suo arbitratu, sed tantum ex præcepto & mente Superioris; & si qua in re à mente Superioris recesserit, incurrit proprietatem. Nam ita dispensat, ac si esset Dominus, & ad alterius Dominium non pertineret.

7. Non potest mutuò aut cõmodatò dare, sine consensu Superioris, quia tãtum habet vsum rei & eum precarium, vsuarius autem non potest alteri vsum concedere vt habetur Instit: de vsu & Habitatione. §. 1. & 2.

8. Non licet ei quicquam etiam ab externis & consanguineis accipere sine consensu Superioris, ea præsertim intentione, vt illud sibi appropriare velit.

9. Non potest etiam ad vsum sibi quicquam ex rebus communitatis vsurpare inuito Superiore.

10. Peccat Religiosus si quidquam abscondat, illudq; subducat liberæ Superioris dispositioni, hoc enim furtum, & Sacrilegium est.

11. Tenetur

11. Tenetur Religiosus in iis quibus vtitur conseruandis eam præstare diligentiam, quam adhibere tenetur is, qui re aliena vtitur.

12. Res superfluas non potest habere etiam cum licentia superioris, potestque hac in parte peccare mortaliter, si habeat aliqua quæ statum suum non deceant.

Hactenus de Proprio.

DE CONCIONATORE.

QVoniam vero in Prædicatione Verbi Diuini, maxima & precipua pars curæ animarum consistit. Ideo dabit operam Pater Custos, vt antequam ad munus Concionatoris aliquem ex Fratribus deputatum pro approbatione ad officium remittet. Primó vitam & doctrinam eius exploratam habeat, diligentèrque prouideat, vt talis designetur, quem pietas, vitæ honestas, & doctrinæ puritas, commendet & cuius doctrina cum vita consentiat. quiq; in priuatis Refectorii Concionibus (in quibus se Fratres inposterum diebus præsertim festis exercere debebunt,) doctrinæ, ingenii, & facundiæ, specimen sæpius exhibuerit.

Maioris autem Commoditatis causa, tempore Hyemali Hypocaustum habebit, & ab horis decantandis liber erit. Cum autem antiqua consuetudo sit, vt pomeridianæ Conciones, singulis diebus Dominicis & Festis principalioribus à Fratribus, à Patre Custode assignatis habeantur, id in posterum obseruari debebit, vbi vel maxime populus in rudimẽtis fidei, doctrinaq; Christiana, iuxta præscriptum Cathechismi Romani, informandus erit.

In Cõcionibus autem faciendis, eam Methodum seruabunt, quæ in Statutis Synodorum Prouincialium, & Diœcesianarum, tùm & in Epistola Pastorali, Illustrissimi olim Cardinalis Macieiouii descripta habetur.

DE OFFICIO PROVINCIALIVM.

PRouinciales, qui vt officio ita etiam vitæ & morum integritate Regulariq; obſeruantia aliis præſtare debent, ita ſe gerãt, prout illorum officium in Cõſtit: 8. Lib. 3. Cap: Gen: 2. deſcriptum exigit: præcipuè verò hæc duo puncta, perquàm ſtudioſiſsimè exequẽtur. Imprimis Eccleſias ditioni ſuæ ſubiectas, omnes quidem ſemel in Anno tempore in Capit: Generali 2. lib. 3. Conſtit: 16. præſcripto. Singulas autem emergente aliquo Caſu, quoties neceſsitas poſtulauerit, per ſe viſitent, diligentemque de vita & conuerſatione Fratrum ad ſuam Prouinciam pertinentium, inquiſitionem facere non negligant. Exceſſus ſi quos fortè aduerterint, leuiores quidem (iuxta Conſtit: præſcriptum) ipſimet puniant, grauiores autem ad nos deferant. Alterum verò eſt, vt ſaltim ſingulis Anni, quatuor temporibus, ad Reuerendiſsimum Generalem litteras mittant, quibus eum de rebus omnibus ſuæ Prouinciæ, cõmune faciant, & conſilium de rebus arduis & difficilioribus exquirant.

Omnes autem Fratres extra Conuentum manentes, illis in omnibus rebus ad officium ipſorum ſpectantibus, non aliter quàm nobis ipſis obedire, & debitum honorem, & reuerentiam exhibere debent.

Quoniam autem de Electione, & de numero Prouincialium, in Conſtit: Ordinis noſtri, nil expreſſum habemus, ideò ſtatuimus, vt in poſterum, non niſi à Capitulo Generali quatuor deligantur, & quidem tales qui huic muneri pro dignitate Ordinis noſtri, & vtilitate Eccleſiarum illis ſubiectarum, reſpondere poſsint. Si tamen aliquem ante tẽpus Capituli Generalis, è viuis decedere contigerit,

tigerit, liberum erit Præposito Generali, alium in locum demortui surrogare, à futuro Capitulo, si idoneus fuerit, approbãdum.

Debent autem esse numero quatuor, videlicet maioris Poloniæ, cui Ecclesiæ Gnesnen: Sempelboriensis, Pysdrensis, Siradiensis, & Grodziscensis. Minoris Poloniæ, cui Ecclesiæ S. Heduigis in Stradom, Wrocimouiensis, Vneiouiensis, Wrociriensis, Chelmensis, Zarnouecensis, Chodouiensis, In minori Polonia. Bythomieñ: Charzomensis: In Silesia, Landecensis, Lapsensis, & Ianusouien. in Vngaria, Russiæ, cui Ecclesiæ, Præuorscensis, Lesaiscensis, Gniewcynensis, Giedlarouiensis, Vrzeuicensis, Rudolouiensis, & Tuliglouiensis. Masouiæ, cui Ecclesiæ Vissegradiensis, Rembouiensis, Scariseuiensis, Gorznensis, Rypinensis, & Legonicẽsis. vnà cum suo clero perpetuò subiectæ esse debent.

De Officio Præpositorvm et Parochorvm

In Beneficiis Ordini annexis manentium.

CVm alia sit ratio Beneficiorum Sæcularium, alia verò Regularium, & aliis seculares, aliis verò ii, qui per emisionem votorum solemnium arctiorem viuendi statum amplexi sunt, legibus teneantur. Proindè ne Fratres Ordinis nostri, qui ad beneficia ordinis obtinenda Capitularitèr à nobis deputantur; eo ipso quod extra claustrum degant, maiorem sibi licentiosè viuendi occasionem oblatam esse arbitrentur; Præter ea, quæ in Constitutionibus Ordinis præsertim verò Constit. 10. lib. 3. Cap. Gen: Secundo de

Propositorum & Plebanorum officio, sancita sunt, hæc puncta addenda, vel potius ex iisdem Constitutionibus deprompta, in meliorem methodum redigenda, diligentiq; Præpositorum & Plebanorum Ordinis nostri, nostræ iurisdictioni subiectorũ, executioni demandanda esse duximus. Imprimis omnes, tàm Præpositi, quàm Plebani Religiosæ vocationi suæ semper sint memores, & ad præscriptum Regulæ & Constit: Ordinis, quàm maxime vitam suam & mores accomodare studeant, eamq; iuxta obligationem nostri instituti, adminus semel in Septimana ad mensam prælegant. Et quia (vt potè extra claustrum manentes) in maiori periculo frequentioriq; occasione peccandi versantur. idcircò eo maiora pietatis aliarumq; virtutum præsidia, sibi comparare studebunt, dabuntq; omnem operam, vt vel ex ipsa conuersatione, facile à quolibet veri Religiosi dignoscantur.

Inter alia vota essentialia, vel maximè Paupertatem, quæ totius Regularis disciplinæ firmissima; basis, ac fundamentum est, semper præ oculis habeant, & secundùm doctrinam hac de re superius traditam se gerant, neq; bonorum, aliorumq; fidei suæ commissorum prouentuum Dominos, sed potius temperaneos dispensatores & administratores se esse sciant; ac proinde in iis dispensandis, non quod propriæ lubet voluntati, sed quod Regulæ ac Constitutionibus, sacrisq; Canonibus cõformè ac consentaneum est faciendum esse meminerint, eaq; præstent, quæ fidelem dispensatorem decent. Quod vt eo facilius exequi possint, volumus vt Præpositi, Plebani, & quicunq; beneficia Ordinis nostri, cuiusuis conditionis obtinent, ita redditus & prouentus suos distribuant, vt quotidie si opus fuerit, ad rationes reddendas, parati esse possint. Ac præterea vt omnium reddituum ac expẽsarum, fideliter ac diligenter cõscripta habeant Regestra, illaq; quotannis semel idq; immediatè circa Festum Diuisionis Apostolorum, vel alio huic proximo opportu-

nlori

niori tempore, siue per se, (si ita commode fieri poterit) siue per suum Vicarium, aliamque idoneam personam ad nos Miechouiam: in absentia verò ad Custodem pro tempore existentem transmitti curent. Ne autem aliquid de bonis aliisque Prouentibus Ecclesiarum, siue per incuriam beneficiatorum, siue per alium quépiam modum depereat, ordinata Inuentaria tàm sacræ rei Ecclesiasticæ, quàm etiam supellectilis Domesticæ habeant, & ea fideliter & ordinate descripta singulis trienniis ad Monasteriũ trãsmittant.

Volumus præterea, vt singuli Beneficiati, in posterum habeant librum, in quo omnia Priuilegia, ad suam Ecclesiam spectantia, de suis originalibus describant: ipsa autem Originalia Priuilegia nullatenus penes se retineant, sed ea quamprimùm ad Archiuium remittant Conuentus, in quo etiam libro specialiter annotare debent omnes prouentus & redditus beneficiorum suorum, tàm eos quorum sunt in vsu, quam eos, qui vel negligentia antecessorum suorum, vel iniquitate temporum deperierunt.

De bonis ad Ecclesiam suam pertinentibus (quoties necesse fuerit) iure agant, in iisque defendendis, ac recuperandis (si quæ fortè per negligentiam Antecessorum suorum alienata fuerint) sumptui non parcant. De omnibus verò Reuerendissimum certiorem faciant, nequè ipso inscio, de controuersiis, maioris præsertim momenti, priuata authoritate transigere, & multominus per mutationes donationes, vel (quod absit) venditiones, aut alienationes bonorum, ad suas Ecclesias spectantium, facere præsumant, sub pœnis à SS. Canonibus statutis, & aliis à Reuerendissimo irrogandis.

Circa administrationem Sacramentorum (qui curam animarũ habent) ita se gerant, prout liber Agendorum, Epistola ad Parochos, & Constitutiones Ordinis, per integrum librum primum, Cap. Gen. 2. hac de re sancitæ præscribunt, ac præterea lectioni Casuum conscientiæ diligenter incumbant, nec quicquam pro admini-

ministratione Sacramentorum exigant, præterquam si quid sponté per modum Eleemosinæ illis offertur.

Cum autem sancta sanctè tractanda sint, puritati conscientiæ, vel maximè studeant; Examen Conscientiæ, antequam conferant se cubitum, quotidie faciant, & mane orationi mentali, seu meditationi, ad minus per vnum quadrantem vacent: neque peccatorũ Confessionem in longum differant tempus, sed adminus semel in Septimana, (nisi sæpius Conscientiæ testimonium requirat,) iuxta præscriptum Constitutionum siue fratri, siue alteri cuipiam Præsbytero, approbato tamen, ritè Confiteantur, si autem in aliquem casum reseruatum inciderint, ad Prouincialem pro absolutione recurrant. Quod si aliquis commoditate Confitendi destitutus, aliquo peccati scrupulo angatur; non audeat ad Diuina Officia præsertim verò Sacrosanctum Missæ Sacrificium, nisi priùs feruentem contritionis actum, cum proposito quamprimùm confitendi elicuerit; accedere.

Ante accessum autem ad altare (quod ad minus ter in Septimana, præter dies Festos, ex præscripto Constit: frequentare debent) diligenti præparationi, adminus per vnum quadrantem insistant; neque item absoluta Missa, statim ad fabulas, aliasque varias occupationes, sed potius ad orationem siue vocalem, siue mentalem se conuertant.

Cum verò id potissimum ad Officium Pastoris spectet, vt oues suas agnoscat, & illæ vocem eius audiant, operæ precium fuerit, vt non tantùmmodo Vicarii (quod hactenus quibusdam in locis consuetudine inualuit) sed etiam ipsi Beneficiati, nonnunquam diebus Dominicis, & solemnioribus Festis, (præsertim si non fuerint legitimè impediti) per se ad populum verba faciant, suosque Parochianos in rudimentis fidei, vt poté Oratione Dominica, Symbolo, Decalogi, & Ecclesiæ præceptis, quam diligentissime informent,

ment, modumque ritè Confitendi ac communicandi eosdem edoceant, ad audiendum quolibet die Dominico, & Festo sacrum Missæ Officium serio adhortētur: abusus, siue ex crassa quorundam simplicitate, siue ex deprauata consuetudine, inueteratos, tollere studeant, in vitia quæ præsertim inter suos Parochianos dominari aduerterint, in Concionibus acritèr inuehantur, & quod caput est, nullum de seipsis scandali vestigium relinquant. Præsertim verò frequentationes cauponarum; ebrietates, lusus alearum, extra proprias domus (quæ instar claustri vbique locorum, etiam in villis esse debent) pernoctationes (nisi fuerint in itinere) omnino deuitēt, nilq; eiusmodi comittere audeāt, quod ipsi honestati statuique Religioso repugnet.

Ab Ecclesiis suis, diuturno præsertim tempore, sine vrgenti necessitate, non se absentent, sed domi assidue residentes, rei Oeconomicæ ita attendant, vt cultus Diuinus in nulla re negligatur. Familiam Domus in honestate, & disciplina retineant; & ne quid indecens (quod Deus auertat) in domo Religiosa fiat, diligenter prouideant.

Quia verò non sine graui dolore nostro, cum ipsamet experientia, tùm crebris Fratrum ad inuicem, quæ ad nos deferuntur, querimoniis edocti sumus, debitum amorem Fraternum, difficilè reperiri inter Beneficiatos & Vicarios; tum quod illi ea quæ de victu & amictu, aliisque necessariis Fratribus Vicariis suppeditandis, in Constit. Ordinis sancita sunt, iisdem denegent, tum quod isti proprietati magis quam necessitati studentes, necessariis non contenti, superflua ab eis exigant, neque tamen quidquam de suis obuentionibus superioribus suis concedere velint; Proindè, vt omnis in posterum hisce altercationibus ac querimoniis aditus percludatur, statuimus ac seriò præcipimus. Inprimis vt Præpositi & Plebani debito amore Fraterno, (quem vitæ & morum statusque similitudo

facile conciliare poteſt, & debet) Vicarios ſuos proſequantur : & quemadmodum omnium laborum, qui in Spirituali adminiſtratione Eccleſiæ ſuſcipiuntur ; ſunt participes & ſocii; ita victu & rebus aliis diſsimiles eſſe non debent, ſed vt communi illaque decenti menſa vtantur, neceſſe eſt. Non ſolum autem victum ſed amictũ quoque, aliaue neceſſaria, quæ in Conuentu Fratribus ſuppeditantur, (iuxta Conſtit: X. Cap. Gen. 2. lib. 3.) Beneficiati Vicariis ſuis, in poſterum tenebuntur prouidere, hoc pacto, vt quid quid Vicarii ſiue ex Eleæmoſinis ſiue (vt vocant) petitionibus, ſiue ex aliis quibuſcunque piis Benefactorum collationibus, (quas tamen inſciis Superioribus accipere nunquam illis fas erit) acquiſierint, id totum in Carbonam, cum ſcitu eorundem ſuperiorum ſuorum, quorum ſunt Vicarii reponant. Illi vero nulla quidē Quartualia (quod hactenus non ſine graui paupertatis iactura, paſsim obſeruatum eſt) Vicariis ſuis ad manus tradant, ſed eadem ſimiliter in Carbonam communem, iuxta quantitatem hactenus obſeruatam (in Gneſnenſi autem Præpoſitura, vbi nullæ ferè ſunt Vicariorum obuentiones in duplo augentes) deponant: atque ex tota hac pecunia, ex Carbona ſumpta, vel ipſi neceſſaria prouideant, vel ab ipſis Vicariis cum ſcitu ſuo, eadem comparari permittant. Quod ſtatutum ita penitus volumus obſeruari, vt ſi in aliorum, certe in huius tranſgreſſores, ſerio nos animaduerſuros polliceamur.

Cæterum cum & variis ſummorum Pontificum decretis, ſub grauiſsimis Eccleſiaſticis cenſuris prohibitũ, & ipſis Ordinis noſtri ſtatutis quā diligētiſsimè cautum ſit, ne vllus ad omnium Regularium cuiuſcunque inſtituti, Ordiniſque domos & loca, mulieribus aditus pateat ; Nos veró eiuſmodi pleraque habeamus Beneficia, quæ ad rem Oeconomicam cum fructu adminiſtrandam, miniſterio mulierum ſaltim ætatis prouectioris indigeant, idque in Conſtit. 2. lib. 3. Cap. Generali 2. concedatur; talis moderatio

hac in

hac in parte videtur adhibenda, vt nimirum beneficiati nostri, ad euitandam cum mulieribus conuersationem, præter commune hypocaustum, separatas aliquas habeant mansiunculas, ad quas nulli omninò fæminæ (siue illa domestica siue externa fuerit) accessus pateat. Cæterum Constit. 2. lib. 3. cap. Gen. 2. de Habitatione Religiosorum in omnibus punctis satis fieri volumus.

Cum leuioribus leuiora, grauioribus autem atque adeò periculosioribus vulneribus efficatiora medicamenta sint adhibenda, ne dum graues morbi minus efficacibus curantur pharmacis, eo grauius inualescũnt neq; in posterum aliis quibusuis etiam efficacissimis iisdem mederi possit. Proindè etsi hactenus ea de re, vix aliquid expresse in Constit: Ordinis habeatur, tamen cum ad nos nostramque pertineat conscientiam, de meliori Fratrum curæ nostræ cõmissorum statu semper prouidere, authoritate nostra, qua in hoc Ordine, Diuina disponente, voluntate fungimur: Statuimus vt si qui (quod Deus auertat) Ordinis nostri Beneficiati Religiosæ vocationis suæ, votorumque essentialium obliti, crimine incontinentiæ fuerint notati, pessimumque exemplum aliis, maximè autem Parochianis de seipsis præbuerint, post Præmissam vnam atq; alteram à Reuerendissimo admonitionem, & correctionem, nullo tamen emendationis effectu subsequente, tales in posterum, si ex inquisitione, rei huius abominandæ turpitudinis reperti fuerint, sine vllo iuris strepitu ipsis beneficiis priuentur, & in Conuentum reuocati in ordinem aliorum Fratrum redigantur: acturi isthic pœnitentiam quæ illis assignata fuerit.

Non solum autem sui, sed etiam Fratrum Vicariorum diligentem debent habere curam: ipsisque (quod superiorum proprium est) ad omnem virtutem sint exemplo & incitamento. Quocirca ipsorum domos sæpius visitent, singulisque Quartualibus, rationem de Eleemosinis, aliisque ipsorum obuentionibus diligenter

exigant,

exigant, neque sine scitu suo ab illis, vel minimum quidpiam comparari permittant. Infirmis debitam charitatem exhibeant. Horas Canonicas simul recitent; frequentes de rebus ad salutem vitamq; religiosè instituendam pertinentibus, inter se collocutiones habeant, neque tempus ab aliis curis vacuum incassum abire patiantur.

Quod si verò aliquis Vicariorum, à veró virtutis ac Regulæ tramite deflexerit, eum continuò suus admoneat Superior, ne fortè silentium sit causa vlterioris mali: Si verò idem Vicarius admonitionē Superioris sui cōtempserit, iterumque in aliquo defectu vel excessu notatus fuerit, nos qui omnium curam gerimus. Præpositis & Plebanis damus facultatem, tales Fratres tanquam inobedientes puniendi, siue Carcere, siue Cilicio, siue priuatione mensæ, imò suspensione à Diuinis, iuxta quantitatem delicti. Quód si neque ista curauerint, ad Prouinciales eos deferant: ingrauescente autem ipsorum insolentia, ad nos Miechouiam pro grauiori correctione, præscripto ipsorum excessu, pedester remittant.

Quoties verò tàm ipsos Beneficiatos, quàm alios Fratres ad Cōuentum alicuius negotii causa venire contigerit, statim intra Scripta Monasterii se conferant, neque in ciuitate pernoctare, & multòminus comessationibus & compotationibus, ibidem indulgere præsumant: Quod si suam liberalitatem Fratribus in Conuentu residentibus in exhibendo præsertim, aliquo vini poculo, declarare voluerint, id in Conuentu pro vsu communis mensæ (moderate tamen) facere poterunt. Nobis autem curæ erit, pro Paterno erga omnes amore, vt quamprimum commoda aliqua habitatio pro Fratribus Hospitibus, excipiendis præparetur, & omni necessaria supellectili instruatur.

Quandoquidem autem Prouincialia Statuta, aliæque Ecclesiasticæ ordinationes id prohibent, ne Religiosi Regularia, & quæuis alia beneficia obtinentes, solitarii ac sine socio (qui ipsorum

Religi-

Religiosæ cōuersationis testis esse debeat) extra claustrum viuere præsumant; id autem apud nos (vbi in quibusdam locis, ob tenues Prouentus non nisi vnus Frater degit) minimè obseruetur. Proindè & si non facile, sanè hac in parte modum reperire est, quo & Ecclesiasticis Decretis, & conscientiæ Fratrum consuli possit, vehementèr tamen optaremus, vt vbicunque reditus Ecclesiæ ferunt expensas ad alendum Vicarium, is deinceps Præposito seu Parocho adiungatur, qui sit morum & Conuersationis illius veluti testis, vbi autem adeò exigui sunt Prouentus, vt nequaquam pro duobus Fratribus alendis sufficiant, neque aliqua ratione, præsertim verò recuperatione amissorū & alienatorum augeri possit. Talia Beneficia potiùs in manus Ordinariorum tardātu: quàm cōtra Canonum præscriptum & Regulæ institutum retineantur.

Non possumus non multum laudare R. P. Felicem Scariseuiensem Præpositum Lesaiscensem, qui singulari sua prudentia & industria, non modo Prouentus Ecclesiæ suæ notabiliter auxit, verùmetiam mansionariam in eadem Ecclesia erexit quam nos ratam & gratam habentes, libenter approbamus & confirmamus. Tertiumque Vicarium è Conuentu, ad eandem Ecclesiam perpetuò assignamus.

DE OFFICIO VICARIORVM.

VIcarii, quando è Conuentu Generali Miechouiensi, ad aliquod Particulare Ordinis nostri Beneficium, subsidii causa, circa curam animarum mittuntur, cogitent imprimis, iisdem planè Religionis votis, Ordinisque Constit: vbicunque locorum fuerint se teneri. Quare omnes hortamur ac præcipimus, vt ad præscriptum Regulæ & Constitut: Ordinis, vitam suam accomodare

ſtudeant, eamq́ue adminus ſemel in Septimana ad menſam prælegendam attente audiant, & memoriter addiſcant.

Officia Diuina iuxta loci conſuetudinem, debitis & ſtatutis horis deuotè ac ſumma cum attentione (nominatim verò Fratres, circa Eccleſiam Præuorſcenſem reſidentes, præter Officium Beatiſsimæ Mariæ Virginis, Primam maiorem ſingulis diebus Dominicis & Feſtis) decantent. Sacramenta Parochianis tempeſtiuè, decenterq; ad præſcriptum Agendorum, & Conſtitutionum Ordinis adminiſtrent, nec quicquam ab eorum adminiſtratione (præterquam ſi quid per modum Eleemoſinæ ſponte offertur) exigāt. Eoſdem Parochianos in fide & doctrina Chriſtiana, in Concionibus præſertim, prout de Parochis ſuperiùs dictum eſt, diligentèr inſtruant, illa verò quæ ad Credendū vnicuique etiam ſimpliciſsimo (ſi ſalutem conſequi vult) omninò ſūt neceſſaria. Septem Sacramēta, vt potè Myſteriū Sanctiſsimæ Trinitatis & Incarnationis, pro captu auditorum frequenter explanent; Peccata grauiora præſertim, ſeuerè increpent, fideleſque ac ſtrenuos in animarum ſalute procuranda Prælatorum ſuorum Cooperarios ſe præſtent.

Confeſsionem (iuxta præſcriptum Conſtitutionum) adminus ſemel in Septimana, vel ſæpiùs quando id neceſsitas exigit, vel ſibi ad inuicem (ſi fuerint plures) vel ſuperiori ſuo, vel cuipiam alteri cúm ſcitu ipſius faciant. Aliorum verò Confeſsiones non audeant excipere, niſi prius ab Officio Lociordinarii fuerint approbati ; Quam approbationem vt eò faciliùs conſequi poſsint, tempus (cuius magnam habent copiam) Sacræ lectioni & caſuum cōſcientiæ ſtudio impendant.

Superioribus ſuis, penes quos interim manent, debitam exhibeant reuerentiam , admonitioneſq; ipſorum, non aliter ac noſtras accipiant, ipſiſq; in omnibus (præſertim licitis & honeſtis) obtemperent, verbis & actibus moroſis (quod Deus auertat) iiſdem

nullo

nullo prorſus modo ſint moleſti, neque eorum familias perturbare, reique Oeconomicæ (niſi ipſiſmet rogantibus) ſeſe miſcere audeant. Silentium ſeruent, debito præſertim tempore videlicet abſolutis refectionum & recreationum (quæ tamen in longum tempus pertrahi non debent) horis.

Hora certa cubitum ſe conferant, atq; ſurgant, quæ per ſuos Superiores, pro temporis qualitate aſsignāda erit. Examen Cōſcientiæ veſpertino tempore, ſingulis diebus faciant; Mane verò meditationi, adminus vnum quadrantem impendant. Ac denique ante & poſt Miſſæ celebrationē (quàm præter dies Feſtos, adminus ter in Septimana, iuxta præſcriptum Conſtit: abſoluere obligantur) ita ſe gerant, prout ſuperiùs de Beneficiatis & in Capit. Generali ſecundo, Lib. 2. Conſtit. 1. eſt præſcriptum.

In ſuis habitaculis ſemper ſe contineant, neque ſine licentia Superiorum ſuorum (quæ abſque legitima cauſa eis facilè concedi non debet) extra ſepta domus Parochialis egredi audeant, multo verò minus Tabernas, aliaque loca Religioſis minus competentia adire, ibique (quod abſit) compotationibus, Choreis, alearum luſibus, aliiſque inhoneſtis actibus, vacare præſumant. Quod ſi aliquis ſecus fecerit, liberum erit Superiori, tàm inſolenti Fratri pænam incarcerationis, cilicii, Ieiunii & diſciplinæ, (prout ſuperius dictum eſt) aſsignare, vel etiam ſi proteruus fuerit, eum à Diuinis ad tempus ſuſpendere.

Inter alia autem, id vel maximè omnibus Vicariis ſeriò præcipimus, vt omnes à colloquiis & conuerſatione mulierum abſtineāt, neque cum illis (niſi ſpecialis conſenſus Superioris, cauſaque legitima acceſſerit) colloquia habere audeant, multò verò minus eaſdem in ſua habitacula ingredi patiātur; Siquidem id grauiſsimè Statutis ordinis & SS. Canonibus, ac recētioribus Bullis Pontificiis vetatur, & tranſgreſſores cenſuris Eccleſiaſticis ſubiiciuntur.

 Ne verò

Ne verò aliqua proprietatis ſuſpitione, Fratres noſtri Profeſsi laborare videantur: Mandamus in virtute ſanctæ obedientiæ, vt in poſterum omnes Vicarii, nil ſine ſcitu ſuorum Prælatorum, penes quos interim manent, ſiue per modum doni vel Eleæmoſinæ, aut alio quocunque nomine ab vllo quopiam accipere, de illoque pro ſuo libitu diſponere audeant, ſed omnes & ſingulas obuentiones & Eleæmoſinas, nec non quartualia, à Beneficiatis pendi ſolita, in communem carbonam ad id præparatam conferant, à qua vna clauis penes Beneficiatum, altera penes Vicarios remaneat; Competenti verò tempore, quando id neceſsitas poſtulauerit, totam illam peccuniam, cura & induſtria Vicariorum acquiſitam, Beneficiati non niſi in eorundem neceſſaria expendent, vel certè eandem inter illos diſtribuent, ita tamen vt nihil de pecunia accepta, Vicarii ſine ſcitu Superiorum, in neceſsitates ſuas exponant, & quoties ab eis requiſiti fuerint, ſint de omnibus reddere rationem parati.

Quamuis autem vel maximè propriam quiſque conſcientiam attendere debeat, neque in alterius facta curioſius inquirere. Fraterna tamen charitas exigit. vt mutua à Fratribus extra manentibus, ad inuicem de alterius ſalute cura habeatur; Proindè Vicarios omnes in Domino hortamur, & omnes in conſcientia obligamus, vt non tantùm propria, ſed etiam Superiorum ſuorum (quorum honeſtæ vitæ, & cõuerſationis Religioſæ teſtes eſſe debent) conſcientiæ rationem teneant, & ſi quid (quod abſit) ſcandaloſum in eis aduerterint, id ad nos in poſterum fideliter, ſiuè ſcripto, ſiuè quocunq; alio modo deferre teneãtur, omni tamen malo affectu odii, inuidiæ, aut vindictæ excluſo.

Denique cum in Capitulo Generali 1. prudenter ſancitum habeatur, vt Vicarii triennio exacto, ad Conuentum reuocentur, ne videlicet extra Clauſtrum manentes, in obliuionem Regularis

diſciplinæ

disciplinæ, quæ maxime in Communitate vigere debet veniant, eandem ordinationem in posterum diligẽtiùs, quàm hactenus obseruandam, & eos Fratres qui vltra triennium extra manent, in Conuentum reuocandos esse declaramus.

De Execvtione Pvnctorvm, Ex præcedenti Visitatione relictorum.

Quia verò nonnulli tàm ex Beneficiatis quàm ex Vicariis, circa inquisitionem per Iudices Cõmissarios, ad id specialiter deputatos reperti sunt, qui punctis sibi ex Visitatione Anno præcedenti per nos facta, ad exequendum relictis, vel non omnino satisfecerunt, vel penitùs ea exequi neglexerunt: idcircò ne iam se prorsus liberos ac immunes, ab eorundem executione existiment, seriò mandamus ac præcipimus, vt ea omnia & singula infra spatium vnius Anni, à celebratione huius Capituli computandi adimpleant, & exequãtur; ac prætereà illi qui Regestra prouentuum, ac suppellectilis tàm Ecclesiasticæ, quàm Domesticæ, secum pro Capitulo præsenti non attulerunt, vt eadem infra Semestre in Conuentum Miechouiensem transmittant, idque sub pæna priuationis beneficiorum, vel sub aliis, arbitrio nostro, irrogandis.

De Tempore Obligationis, Cõstitutionũ, in præsenti Capitulo sancitarum.

VT autem ea omnia & singula Statuta, quæ in hoc Generali Capitulo diuina inspirante gratia, Communi totius Ordinis nostri accedentes consensu sancita ac decreta sunt, debitæ mãdentur executioni; nullaque in posterum obligationis incertitudo à quopiam ex Fratribus prætendi possit. Statuimus & decernimus, vt postquam præsentes Constitutiones, siue scriptæ, siue Typis expressæ, ad manus in Conuentum quidem Custodis, extra verò Prouincialium Ordinis nostri deuenerint, ipsiq; eas, Custos nimirum in Conuentu, Prouinciales verò in suis Prouinciis publicauerint, & ad notitiam omnium Fratrum deduxerint, ab ipsa publicatione infra duos menses incipiant obligare, ita vt si quis posthac temerariè eis contrauenire, vel eas aliter quàm par est, & per se sonant, pro suo libitu interpretari, ac proinde illorum executionem negligere ausus fuerit, pænas tam in iisdem Constitutionibus expressas, quàm etiam à nobis pro quantitate delicti imponendas, irremisibiliter sit luiturus.

HORARVM DISTRIBVTIO AD DIVINA OFFICIA,

Et alia Regularia Munia in Conuentu Miechouiensi ordinatè peragenda.

A Reuerendissimo Dño Generali conscripta, & inter alia Reformationis Puncta, ex visitatione Patri Custodi pro executione demandata.

MATVTINVM.

HOra solita videlicet circa mediam noctem post pulsum Campanæ, qui adminus vno quadrante præcedere debet, Fratres conueniãt in Refectorium, vt inde in habitu decenti & zonis præcincti, omnes simul ad Chorum egrediantur. Diebus solemnioribus præsertim primæ Classis exceptis, quibus in posterum horæ Matutinæ, circa tertiam post mediam noctem, in Choro inferiori, ianuis Ecclesiæ apertis, solennitèr decantari debebunt, quatenus illis populus, deuotionis causa, commodiùs interesse posit.

Postquam in Ecclesiam conuenerunt, facta ibidem Venerabili Sacramento debita reuerentia, dicta item flexis in terra genibus, Oratione Dominica, & Salutatione Angelica, à Patre Custode, vel si ipse absens fuerit, à Vicecustode signum inchoationis expectent, quo dato consurgant omnes, ad inchoationem officii, & sic stent vsq. ad finem Gloria Patri &c.

In decantando Matutino officio, aliisque diurnis horis, Pater Custos omnem curam adhibeat, vt sit cantus grauis, lentus, & intelligibilis, qui si aliqua præcipitatione vel concitata pronunciatione præpeditus fuerit, manus pulsu in grauitate retineatur.

Intra Diuinum Officium, nemo ex Choro seu Oratorio exire audeat, nisi legitima causa (venia tamen prius à Custode, vel in absentia ipsius à Vicecustode accepta) euocatus fuerit, sub pœna per Patrem Custodem asignanda.

Absolutis horis, cum exeundum erit, non nisi prius signo dato, simul omnes ex Oratorio egrediantur. Inde in Cellas, vel frigoribus ingruentibus, in commune hypocaustum sese recipiant, Nullusq; audeat ineptis & vanis colloquiis, alios orationi vel lectioni vacantes impedire, vel silentium frangere; quòd deinceps, exceptis recreationis horis, semper in Refectorio & Dormitorio exactisimè seruari debet. Quòd si quis contrarium fecerit, eum Vicecustos officii admoneat, cuius monitioni si non obtemperaue-

rit, ad Patrem Custodem deferatur, in quem ille grauius aduertere debebit. Si quis verò, nisi vera infirmitate impeditus, (de qua Patri Custodi certò constare debebit) Matutinum officium intermiserit, is cum vno ex Fratribus Professis à Patre Custode deputato, illud absoluat; pro negligentia autem priuatione vnius ferculi, irremisibilitèr puniatur: hoc adiecto quod ingrauescente alicuius negligentia, pæna quoque debebit ingrauescere, iuxta modum in Punctis Reformationis à nobis præscriptam.

Si quis autem initio Matutini non adfuerit, vel aliquid ex horis diurnis neglexerit, is pro hac negligentia quinque Orationes Dominicas tempore prandii flexis in terra genibus recitabit.

HORA PRIMA & TERTIA.

PRimam pulsus præcedat media hora, vt vno quadrante se vestiant, & altero meditationibus, & aliis piis orationibus ad exercitium matutinum spectantibus vacent. His completis signum detur ad inchoationem Primæ: temporibus quidem æstiuo & Aduentus hora 6. Hyemali verò hora 7. Dum autem Prima in Hyeme decantatur lectum Sacrum, in æstate autem, circa ortum solis, propter homines occupatos, celebretur.

Post Primam immediatè Maturum Sacrum cantatum subsequatur, quo inchoato lectum quoque Sacrum in superiori Oratorio per Presbyterum à Patre Custode asignatum inchoari debet, quod integrum omnes Fratres, præsertim qui eo die non sunt celebraturi, sub pæna arbitrio superiori irroganda, deuotè & attentè audire à modo teneantur.

Post Maturum Sacrum Tertia immediatè, præsertim diebus profestis succedat; Hac absoluta, quicquid supererit temporis infrà Tertiam & Sextam, id totum impendent, Iuniores quidem lectioni quæ prælegetur audiedis & aliis Scholasticis exercitiis; Præsby-

Presbyteri autem lectioni casuum Conscientiæ, & Sacræ scripturæ; nec quisquam vanis colloquiis vel minùs necessariis deambulationibus, alios impediat. Et si quis talis repertus fuerit, in eum Pater Custos aduertat. Si quis verò cōpotationibus cremati, vel aliis minus honestis occupationibus indulserit, talis grauiori pæna mulctari debet.

SVMMVM SACRVM, & SEXTA.

SVmmum Sacrum diebus Festis statim post Tertiam subsequi debet, aliis vero diebus Æstiuo tempore hora 9. Hyemali verò hora 10. per scholares decantetur. Post Summum Sacrum in Festis duplicibus & semiduplicibus, reliquis vero temporibus ante (iuxta ordinationem in Rubricis Missalis Romani præscriptam) Sextam Fratres cantabunt. Finita vero Sexta, vel Summo Sacro (post quod diebus solennioribus Sacrum lectum propter hospites haberi debet) omnes Fratres sub priuatione nobilioris ferculi ad benedictionem mensæ tempestiuè cōueniant, quæ absoluetur ab Hebdomadario cum graui & distincta pronunciatione.

PRANDIVM.

INtra Prandium modestia & silentiū iuxta Constitutiones Ordinis seruentur, & lectio Sacra instituatur, ac vnus ex Presbyteris secundùm Ordinem cum vno, vel si necesse fuerit, etiam cum altero ex Iunioribus mensæ inseruiat. Quæ vltra tres quadrantes tàm in prandio, quàm in cæna protrahi non debebit.

NONA.

PRandio finito post Gratiarum actiones, ad decantandam Nonam (nisi ex præscripto Rubricarum ante Prandium esset absoluenda) in Chorum se conferant, & eundo Psalmum Miserere

re decenter & deuotè recitent. Nona absoluta horam vnam recreationi impēdent: hac finita lectioni & scripturæ sacræ aliisque actibus Religiosam vitam concernentibus, operam dabunt ad Vesperas vsque; Vicecustode tanquam morum Magistro id attendente, & negligentes Patri Custodi deferente.

VESPERÆ.

PRo Vespertinis precibus pulsabitur tempore Æstiuo hora 3. tempore verò Hyemali hora media post secundam, quæ per scholares cantabuntur, pro quibus etiam absoluendis omnes Fratres in Oratorium semper conueniant. In Vigiliis autem & diebus solennioribus omnes ad Chorum inferiùs in Ecclesiam tempestiuè descendant, nec illos Custos in Choro expectet; qui autem tarde venerit, is vno poculo ceruisiæ priuetur.

Similiter etiam quicunque ex Fratribus diebus Festis Missæ solennis in Choro non interfuerit, vel Concionem audire neglexerit, priuatione duorum ferculorum puniatur. Postquam verò in Chorum venerint, & locum proprium in Stallo occupauerint, statim cum ea qua par est deuotione, orationibus incumbent, & à mutuis colloquiis, ac non necessariis deambulationibus abstinebunt. Post Vesperas autem habebunt recreationis mediam horam, deinde lectioni & aliis Religiosis exercitiis ad Completorium vacabunt.

COMPLETORIVM & CÆNA.

COmpletorium dato per Patrem Custodem siue per Vicecustodem signo, tempore quidem Æstiuo hora 5. Hyemali verò media post quartam Fratres omnes cantabunt in Oratorio; quo finito Cæna seu refectio succedat: in qua Silentium, Lectio Sacra, & alia omnia quæ de prandio præscripta sunt seruentur.

HORA RECREATIONIS,
Et dormitum se conferendi.

POst Cænam habeant vnam horam in Refectorio, vel Dormitorio modestæ deambulationis ob digestionem, vel etiam honestæ ad inuicem colloquutionis. Qua finita & signo per Patrem Custodem dato, omnes statim ad Chorum conueniant, & Lithanias in Officio Patronorum specificatas deuotè decantent, ac inde recta in cubicula sese conferant, ibidemque vno quadrante examini Conscientiæ & Orationibus ex Thesauro Precum, vel aliis piis libellis ad id accommodatis vacabunt, altero autem vestes deponent, & cubitum se conferent; nec amplius deambulationibus, & multominus compotationibus, tàm in Refectorio quàm in Cellis indulgeant, nec vllus deinceps strepitus in Dormitorio audiatur, idque sub pœna carceris vnius diei irremissibiliter irroganda. Quicunque autem huic Ordinationi nostræ temerè contrauenerit, in eum per Patrem Custodem seuerè aduertatur. Et si quis (quod absit) fuerit incorrigibilis, ad nos pro grauiori animaduersione deferatur. In cuius rei fidem, præsentes manu propria subscripsimus, & Sigillo nostro communiri mandauimus. Dat. in Conuentu nostro Miechouiensi die 9. Nouembris, Anno Domini, 1619.



Literæ Indictionis Capituli Generalis.

MATTHIAS ŁVBIENSKI, Canonicorum Regulariũ Ord. Sepulchri Dñi Hierosolymitani, Conuentus Miechouiensis PRÆPOSITVS Generalis. &c. &c.

Vniuersis & singulis R.ndis ac Venerabilibus Fratribus, Præpositis, Parochis, ac cæteris Canonicis Regularibus SS. Sepulchri Domini Hierosolymitani, qui Capitulo Generali Miechouien. interesse tenentur, Fratribus charissimis Salutem in Domino.

LAudabili vsu, ac diuturna consuetudine, in Religione nostra receptum & obseruatum fuisse, cùm ex traditione Maiorũ nostrorum, tùm ex variis literarum munimentis ad nos transmissis intelleximus, vt singulis trienniis, visitatione Ecclesiarum Conuentui nostro Generali Miechouień. annexarum præmissa, Capitula Generalia indicerẽtur, ad quæ omnes Ordinis nostri Fratres, præsertim verò ij, quibus cura alicuius Ecclesiæ est demandata, conuenirent, & ad Regularem disciplinam re-

nam retinendam ac restaurandam in cõmuni Consilia sua conferrent. Quæ quidem cõsuetudo, cum jam à multis Annis sit intermissa, non sine insigni Religionis nostræ iactura; Nos quamprimùm diuina voluntate ita disponente, & vnanimi Consensu omnium vestrum ad id accedente, regimini (licet indigni) huius Vniuersi Ordinis ante triennium admoti sumus, statim de indicendo hoc Generali Capitulo seriò cogitare cœpimus. Cùm tamen ad id ritè & vtiliter obeundum plurimũ conducere videremus, si priùs statum & conditionem omnium Ecclesiarum nostræ Iurisdictioni subiectarum perspecta haberemus: ideò quamprimum nobis per alias occupationes licuit, Anno superiore vniuersum ferè Regnum eius rei causa obiuimus, & singulas Ecclesias Ordinis nostri (ijs tantum exceptis, quæ extra fines Regni, ob præsentes ibidem motus, commodè adiri non poterant) in persona nostra adiimus & visitauimus. Quo quidem negotio vtcunq; pro virium nostrarum imbecillitate peracto, & iis quæ ad præsens necessaria esse videbantur, in singulis Ecclesiis præscriptis, & ordinatis, communicato prius cum Consiliariis nostris Consilio, Generale Capitulum hoc Anno Miechouiam conuocandum & indicendum, Deo

omnipotente authore esse censuimus, prout per præsentes literas nostras, (quod vtinam Religioni nostræ feliciter cedat) conuocamus & indicimus, die Decima nona Mensis Octobris Anni præsentis inchoãdum. Cui quidem Capitulo, etsi omnes Fratres etiam extra Conuentum degentes, de iure & consuetudine adesse obligantur, ne tamen Ecclesiæ illæ, quibus inseruiunt, si omnes eas desererent, debitis interea officiis defraudẽtur, hoc moderamen adhibendum esse duximus, vt vno, vel altero Fratre (quod si solus tantum sit curatus, aliquo sæculari Presbytero) penes Ecclesiam relicto, qui aliorum absentiã suppleat, reliqui omnes, tàm Curati, quàm etiam Vicarii, pro die superiús specificata Miechouiam se sistant, atque præhabita secum matura deliberatione, ea parata habeant, quæ in hoc Capitulo vtiliter proponenda esse censuerint. Ac præterea Curati omnes, ac quilibet eorum afferant secum suas præsentationes & Inuestituras; Rationes suorum Prouentuum; Indices rerum suarum, ac Inuentaria suppellectilis Ecclesiæ : sintq; parati sufficiẽter, nos, ac vniuersum Capitulum informare, de Ecclesiarum suarum statu, nec non etiam de eo, quomodo Ordinationibus nostris, ex præcedenti visitatione nostra sibi præscriptis hacte-

nus sa-

nus satisfecerint. Quòd si verò aliquis eorũ (quod tamen minimè optamus) vel ob decrepitam ætatem, vel ob aduersam valetudinem, adesse non possit, is tamen cùm sufficienti absentiæ suæ excusatione, & cũ aliis requisitis, superius specificatis, Vicarium suum expedire, vel si illum non habuerit, per viciniorem Fratrem ea trãsmittere, non negligat. Vt autem præsentes literæ, ad eorum quorum interest notitiam citius perueniant, volumus vt ab eo, ad quem primo à nobis transmissæ fuerint, ad viciniorem Ordinis nostri Ecclesiam, sine vlla mora, transmittantur. donec circulus Ecclesiarum eo Ordine, qui in superficie huius edicti nostri, adnotatus est, absoluatur, & penes vltimum remaneãt: cum attestatione singulorum Beneficiatorum nostrorum, quando ad illos delatæ, & quando ad viciniorem Præpositum, vel Parochum, ab iis transmissæ fuerint. Ille autem ad quem postremò peruenerint, eas secum adferre, & in futuro Capitulo exhibete teneatur. Hæc autem omnia & singula in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pœnis à Canonibus, contra eiusmodi negligentes constitutis, ac aliis à nobis, pro arbitrio nostro infligendis præcipimus. Ac in euidentius eius rei testimonium, præsentes manu nostra subscriptas, Sigillo nostro

commu-

communi mandauimus. Datum in Conuentu nostro Miechouiensi. Die tertia. Mensis Augusti. Anno Millesimo. Sexcentesimo. Vigesimo.



